Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-470494-p0001-2

1701.

Cex

Sammelband 97

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-470494-p0002-8

METHODVS

DE FIDE EIVSDEMQVE ORTV ET CONCEPTV, INcrementis, alimentis, & alijs proprietatibus.

Contra Papistas, Synergistas, Calvinistas & alios Sectarios

VVurcenæ

In conventu omnium Pastorum Ephoriæ Misnensi addictorum ad amicam συζήτησιν

Proposita Anno 99. 12. Martij.

PRAESIDE

VVolffgango Mamphrasio D. Theologo & Superintendente Episcopatus Misnensis.

Vbi ad oculum monstratur, quod Calvinistæ in articulo de Libero arbitrio & de prædestinatione, & Cœna Dominica orthodoxam doctrinam de fide non solum corrumpant, sed etiam, licet fidem subinde iactitent, revera nihil credant, ideoq; ut carcinomata Ecclesiæ fugiendi sint.

Et respondebunt M. Simon Lasmannus, & M. Florianus Landrock Diaconi ibidem.

VVITEBERGÆ,
Excudebat VVolffgangus Meißnerus.

33
Ff 2615 m

CLARISSIMIS ET PRVDENTISSIMIS VIRIS, D. COSS. PRÆTOR: CÆTERISQVE REIPVB. Patriæ ſenatoribus.

ET

PRÆFECTIS ÆRARII PVBLICI ET SACRI FIDELISSIMIS, DOminis, & amicis, affinibus, compatribusq; ſuis plurimùm honorandis. Hanc patriæ benevolentiæ & pietatis teſſeram nuncupando conſecravit & donavit.

VVolfgangus Mamphraſius D. S. & patriæ Eccleſiæ Paſtor, cui tanquam matri ἀντιπελάργησιν *docendo omninò debet.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-470494-p0004-9

DE VOCABVLIS.

VTuntur Hebræi varijs vocibus in descriptionibus fidei, prout varij sunt etiam motus fidei.

Vsitatissimè tamen eis pro toto credere Hæemin, ponitur, inveniturq, in præcipuis locis, ex quibus doctrinam de fide Apostoli exposuerunt. Hoc verbum significat primo ac propriè noticiam historiæ & promissionum divinarum, eisq; assentiri. Deinde etiam significat affectus & motus animi eam noticiam consequentes. Sic Græcum πιστεύω non solùm cognitionem propriè significat, sed & confidere non solùm in sacris literis, sed etiam apud prophanos autores.

Fides latinis à fiendo dicitur, quia fiat id, quod dicitur vel promittitur.

Nomen autem Æmunah, πίστις, fides, vocabulum ὁμώνυμον est, & varia significata habet.

1. Significat veritatem immotam & constantiam in dictis & factis, seu Dei seu hominum Rom. 3. Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit. Tit. 2. fidem bonam ostendentes.
2. Præcipuos articulos fidei, seu totam religionis doctrinam, ut fides Christiana Rom. 16. Ad obediendum fidei inter gentes. Rom. 12. Iuxta analogiam fidei.
3. Euangelij doctrinam. Inde phrasis Evangelizare fidem.
4. Revelationem plenam eorum, quæ sub typis legalibus latebant Gal. 3. priusquam veniret fides.
5. Facultatem miraculorum effectricem 1. Cor. 13.
6. Fiduciam firmatam Rom. 3.
7. Noticiam solùm historiæ de Christo expertem fiduciæ. Iacob. 2. Dæmones credunt & contremiscunt.
8. Historiæ noticiam, assensionem & persuasionem de Dei erga nos amore, sed temporariam. Luc. 8.

Definitio.

Fides est noticia Dei & promissionis Evangelicæ de gratuita reconciliatione & beneficijs Mediatoris: & est simul cum

hac luce in mente & voluntate firmus assensus, quo amplectimur verbum Dei, & imprimis promissionem Evangelij de gratuita remissione peccatorum & donatione vitæ æternæ, eamq; applicamus in specie ad nos: Et fiducia voce Evangelij per Spiritum Sanctum accensa, acquiescens misericordia Dei & merito Christi & certò statuens, iuxta verbum, gratis donari nobis remissionem peccatorum propter Christum, & omnia bona regni Christi, & nos placere Deo, & adscriptos esse hæredes vitæ æternæ Ephes. 3. Hebr. 11.

Breviores definitiones.

I. Fides est noticia omnium articulorum Symboli, eisq; assentiri & eos ad se applicare: & est fiducia acquiescens in Christo, quem monstrat promissio gratiæ.

II. Fides est fiducia cordis in misericordiam Dei propter Christum.

III. Fides est organon, quo gratuitã remissionem propter Christum firmiter appræhendimus, nobisq; applicamus & retinemus. Hæ descriptiones inter se conveniunt.

Nota.

Multæ extant definitiones Etymologicæ seu generales, quæ sanè suum habent usum, sed tamen non rectè venditantur pro integra definitione rei, & ex illis non potest disertè constitui vel monstrari, quid sit fides iustificans.

Augustini Definitiones.

1. Fides est virtus qua creduntur, quæ non videntur, quæ ad salutem necessaria sunt.

2. Quid est fides nisi credere, quod non vides?

3. Fides est cogitare cum assensione ea, quæ ad Christianam religionem pertinent.

Papistæ cavillantur diversas descriptiones fidei, quæ in nostrorũ scriptis extant: sed scriptores iam hoc, iam aliud membrum de fide illustrant iustificante: quædam etiam tantùm sunt particulares notationes, non iustæ definitiones. Sic variæ descriptiones fidei in Luthero reperiuntur.

Sed planiores sunt descriptiones fidei, quæ in scriptura annotantur.

Rom. 4.

Rom. 4. Est plerophoria, quæ reluctatur diffidentiæ, acquiescit verò promissioni divinæ, & dat gloriam Deo, quòd ea, quæ promisit, præstare possit.

Hebræ .11. ὅτι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων.

Eph. 3. Fides est παῤῥησία & πεποίθησις, qua per Christum accedimus ad Deum.

Ioh. 17. Fides est nosse patrem & Iesum, quem pater misit, esse Christum, & Coloss. 2. 1. Ioh. 5. 1. Petr. 1. Iacob. 1. 2.

Esa. 26. Fides est cogitatio firmata seu suffulta, quòd Deus servabit pacem sperantibus in se.

Psalm. 112. Fides est fiducia in Dominum, qua cor ita paratum & confirmatum est, ut non commoveatur.

Calvinistarum verò definitiones multæ fidei sunt vitiosæ, in quibus nulla mentio fit passionis & mortis Christi, nec remissionis peccatorum.

In Catechismo Calvini pag. 77. extat hæc definitio: Fides est certa & stabilis cognitio paternæ erga nos Dei benevolentiæ, sicuti per Evangelion patrem se nobis, Christi beneficio ac servatorem fore testatur.

Cinglij definitio Tom. 2. Resp. ad Conf. Luth. pag. 506. Fides non aliud quam certa & solida est in unum solumq; Deum fiducia.

Partes.

Partes fidei sunt tres: noticia, assensus, fiducia. Alij duas partes brevitatis studio ponunt, noticiam & fiduciam, quia assensus in mente sit noticia, & assensus in voluntate & corde sit fiducia: Quia tamen hi tres actus distinctè considerari possunt, cùm aliquid nosse queas, cui tamen non assentiaris, credasque idem verum, nec tamen fiducia tuum facias, cumq; fiducia existit, non sit sine noticia & assensu: ideo sæpius ab orthodoxis tres partes traduntur, ubi observandum est, quod cùm scriptura sæpè unius partis mentionem faciat, reliquæ duæ tacitè includantur, usitata scripturæ synechdoche.

Principium fidei est noticia, noticiæ comes individuus est assensus, assensum sequitur fiducia in misericordiam Dei

& meritum Christi. παῤῥησία interdum libertas, interdum audacia, nonnunquam fiducia exponitur in prima & secunda significatione. παῤῥησία sequitur fidem, quæ habet accessum ad Deum, & non est de essentia fidei, & Deus sensum pacis credentibus sæpè subtrahit, sed quando obiectum verum est in verbo, & sequuntur motus prædicti, tunc vera est fides. Sic πληροφορίαν, quæ est summus fidei gradus, cuius tanta certitudo est, ut omnem demonstrationem, quæ ex ratione petitur, superet, quæ est in noticia, assensu & fiducia, non habent omnes, nec semper habent, ad eam tamen parandam omnibus sedulò connitendum est: Sæpè tamen sunt fidei συνώνυμα hæc, παῤῥησία & πληροφορία. Et sic tres partes fidei illustrandæ sunt: 1. qua Deus creditur. 2. qua Deo. 3. qua in Deum creditur. Ita fides est, qua Christus creditur, qua Christo, & qua in Christum creditur.

Hæ tres fidei partes pulcrè exponuntur Iohan. 14. Non credis quòd Ego in patre, & pater in me est? Hoc ad primam partem fidei pertinet, erat hoc de Christo credendum, cuius rei adhuc ignari erant Apostoli: Deinde dicit, credite mihi, quod Ego sum in patre, & hoc ad secundam partem refertur, requirit Christus, ut hoc dicenti sibi crederent.

Ad tertiam pertinet, quod dicit, qui credit in me, creditis in Deum, & in me credite. Priores duæ partes applicari possunt & debent ad Deum, & Christum non solum, sed etiam ad prophetas & Apostolos. Tertia verò soli competit patri, filio & Spiritui sancto, non prophetis, non apostolis, imò ne angelis quidem. Sic igitur fides Christi est, non quia Christus creditur, neque qua Christo simpliciter, sed qua in Christum creditur. Credit Christum etiam impius, qui eum esse in rerum natura persuasum habet, credit Christo hypocrita, qui verbis eius & historiæ fidem habet, credit in Christum, qui fiducialiter in meritum Christi recumbit.

Ex qua determinatione patet, nec solum assensum esse, sed nobilissimam eius partem esse fiduciam, quæ plus est, quàm nosse & assentiri, quia credens apprehendit & applicat sibi promissionem, hac fiducia propriè constat fides. Qualis autem sit fiducia, docet scriptura.

1. Non

1. Non temeraria, vana, dubia, sed firmissima certitudo & persuasio.

2. Apprehensiva. Nam fit specialis applicatio & individualis ad nos. Ioh. 1.

3. Quietativa, qua acquiescit credens in Christo.

Rationes, quòd fides significet fiduciam contra Papistas, qui noticiam tantùm historiam fidei tribuunt: Deinde dubitationem confirmant.

I. Ab Etymologia.

Nam Hebraica, græca & latina vocabula non solùm significant noticiam historiæ, sed etiam fiduciam.

II. à generibus fidei.

Noticia nuda non est ὑπόστασις vel ἔλεγχος, sed γνῶσις & nuda mentis seu intellectus apprehensio.

Atqui fides Ebr. 11. definitur ὑπόστασις & ἔλεγχος. Ergo non est sola nuda historiæ noticia.

Nomen ὑπόστασις varia habet significata.

1. In genere opponitur, ἐμφάσει, & significat quiddam verè subsistens non evanescens, ut nubes est hypostasis, arcus verò in nubibus emphasis, id est, fallax sine re similitudo. Item. Speculum est hypostasis, imago verò in speculum resultans est emphasis tantùm.

2. Significat intelligentem substantiam, incommunicabilem, id est, personam. Hebr. 1. filius Dei vocatur character ὑποστάσεως ipsius, id est, personæ patris,

Atque ita græci Theologi in disputationibus de Trinitate usurpant vocabulum ὑποστάσεως, & distingvunt ab οὐσίας, quæ est communicabilis.

3. Significat fiduciam certò aliquid expectantem & opponentem

nentem se instar animosi militis omnibus impedimentis. Nam ut animosus miles suum adversarium in se irruentem forti animo expectat, & magna cum fiducia victoriam sperat: Ita ὑπόστασις Christiana se omnibus procellis tentationum ærumnarumque opponit, certam sibi in Christo victoriam pollicens. Quòd autem in hac disputatione ὑπόστασις non substantiam (quia & ipsi Papistæ non asserent fidem ad substantias pertinere) sed denotet fiduciam, ex locis Pauli dextrè collatis intelligi potest. Hebr. 3. Participes facti sumus Christi, si modò ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως id est, principium fiduciæ usq; ad finem firmum retineamus. Et quòd Paulus ibidem per ὑπόστασιν fiduciam intelligat, parum mutatis verbis eam sententiam repetit dicens, Domus nos sumus Christi, si modo τὴν παῤῥησίαν καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος id est fiduciam & gloriationem spei usque ad finem firmam retineamus. Quod Paulo in priori sententia est: Si principium ὑποστάσεως usque in finem firmum retinuerimus: id in altera sonat, si modò παῤῥησίαν retinuerimus usque in finem firmam.

Elucet ergo ex illo loco, Paulo in hac materia ὑπόστασιν significare παῤῥησίαν seu fiduciam, ac sic etiam fidem esse ὑπόστασιν id est, fiduciam 2. Cor. 9. μὴ καταισχυνθῶμεν ἡμεῖς ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως.

2. Cor. 11. ἐν ταύτῃ τῇ ὑποστάσει τῆς καυχήσεως. Hinc perspicuum est ὑπόστασιν significare fiduciam certò aliquid apprehendentem seu expectantem. Non est dubium, quin hac militari voce voluerit apostolus constantem fiduciam Christiani pectoris in ærumnis exprimere.

Lombardus reddit rationem, cur fides dicatur substantia. Dicitur, inquit, fides substantia, quia rebus sperandis substat. Etsi autem hæc ratio concinna videtur: tamen interpretatio vocis hoc loco omninò falsa est. Nam verissima explicatio est, quod sit metaphorica locutio, de fiducia alicuius rei verè existente, ubi opponitur incertitudini aut dubitationi. Vocabulum ἔλεγχος, quod alij argumentum, alij convictionem, alij certitudinem, nonnulli demonstrationem vertunt, caussam istius constantis fiduciæ exprimit. Est enim ἔλεγχος talis certitudo, qua mens convicta divinis testimonijs firmissimè amplectitur

plectitur promissiones divinas. Hæc certitudo doctrinæ & promissionum divinarum parit illam invictam fiduciam, quã fides semper habet præsentem comitem. Hinc fides dicitur à Paulo παῤῥησία, πεποίθησις, προσαγωγὴ ἐν πεποιθήσει Ephes. 3. Col. 2. στερέωμα Rom. 4. πληροφορία.

Fiducia παῤῥησία plus est quàm nosse & assentiri, quia credens appræhendit & applicat sibi promissionem 2. Cor. 3. Fiduciam huiusmodi habemus ad Deum per Christum. παῤῥησία interdum libertas, interdum audacia, nonnunquam fiducia exponitur. Notissimum est vocabulum significans sine metu & trepidatione liberè & dicere & agere, sicut de verbo παῤῥησιάζομαι, extant multa exempla.

Ephes. 2. In quo habemus παῤῥησίαν & προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει τῆς πίστεως. προσαγωγὴ ἐν πεποιθήσει est libera & filialis ad Deum accessio.

Christus nominatur προσαγωγεὺς admissionalis seu emissarius Dei patris, sequester & interpres, adducens & admittens nos ad Deum patrem.

Papistæ in verbo πέπεισμαι Rom. 8. certò persuasus sum, quòd neque mors &c. elusionem quærunt, quo non certa fiducia sed verisimilis existimatio seu persuasio significetur. Sed Rom. 14. verbum πείθεσθ verbo sciendi coniungitur, οἶδα καὶ πέπεισμαι Phil. 1. Sic eadem verba coniunguntur, ut in fiducia scientia esse significetur 2. Tim. 1. pro Synonymis eadem ponuntur. Col. 2. στερέωμα, στερεὸν solidum, probè fixum, στερέωμα stabilitas, firmitudo, congruit cum voce ὑπόστασις Ebr. 11. Coloss. 2. Videns vestrum ordinem & stabilitatem fidei in Christum.

De voce πληροφορίας, quæ ex certitudine verbi gignit in mente firmam persuasionem, & voluntas toto animo fertur in illud, quod cognitio in verbo monstravit, & ita non solùm ad mentem pertinet, sed etiam complectitur illos motus animi, qui ex certa persuasione consequuntur, ideoq; est in noticia, assensu & fiducia, in caussa formali dicitur.

III. *ab obiecto fidei.*

1. *ab obiecto fidei.*

Fides est τῶν ἐλπιζομένων. Noticia est τῶν γνωστῶν, non τῶν ἐλπιζομένων.

2. ab obiecto verbi.

Fides verbo Dei innititur. Ergo fides est fiducia, tribuens Deo iuxta verbum veritatem & potentiam 1. Iohan. 5. qui non credit, arguit Deum mendacij.

3. ab obiecto meriti.

Fides complectitur meritum Christi.

Sed meritum Christi certum est.

Ergo. Toto corde merito Christi innitendum est.

IV. A Coniugatis.

πιστεύειν ἐπὶ τὸν θεὸν, ἐπὶ Χριστὸν, credere in Deum, in Christum, significat confidere in Christum, in Deum.

Ergo etiam fides in Christum, πίστις ἐπὶ τὸν θεὸν, ἐπὶ Χριστὸν, est fiducia.

V. Ab antithesi fidei & incredulitatis.

Incredulitas significat diffidentiam. Ergo fides confidentiam. Nam indicat sacra scriptura in incredulitate esse timiditatem: In fide autem fortitudinem seu animositatem. Matth. 8. Quid timidi estis vos modicæ fidei? Ecce modica fides affert timiditatem.

Matth. 14. Modicæ fidei quid dubitasti? Vtitur verbo διστάζειν quod significat, quando animus affectibus nunc huc nunc illuc impellitur, ut non maneat in una sententia Rom. 4. Iacob. 1. Marc. 11 fidei opponitur διακρίνεσθαι, quod Budæus inde dici sentit, quòd illi qui habitant secum ipsi alternantibus sententijs quasi litigant & disceptant.

Item Luc. 1. impia illa solicitudo de sustentatione appellatur ὀλιγοπιστία. Et usurpatur verbum μετεωρίζεσθαι, & sæpè accipitur pro efferri in arrogantia. Sed in Luc. 1. est antithesis fidei quam Matth. vocat ὀλιγοπιστίαν, & μετέωρος sæpè sic usurpatur. Sicut enim quę in sublimi sunt facile huc illuc impelluntur, sive sicut naves, quæ procul à littore in alto navigant fluctibus, (utrumq, enim significat μετέωρος, & antithesis pulcrè convenit ad illud Heb. 6. de anchora) agitantur: Ita qui destituuntur verâ fiduciâ in Christum dubio & suspenso animo modò huc modò illuc inclinant, prout res vel prosperæ vel adversæ dant.

Ergo

Ergo fiducia in Deum de sustentatione est fides. Item Christus redarguit ὀλιγοπιστίαν. Ergo requirit maiorem fiduciam in fe.

VI. Ab effectibus fidei.

Effectus istius fidei noticiæ historicæ prorsus repugnant. Fide iustus vivit Rom. 1. fides affert pacem conscientijs. Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus. Atqui historiæ noticia non affert vitam nec tranquillam conscientiam, teste Iacobo cap. 2. Dæmones credunt & contremiscunt. Et Heb. 10 extat: accedamus cum vero corde in plerophoria fidei tenentes confessionem spei ἀκλινῆ Heb. 16. fidem vocat anchoram animæ ἀσφαλῆ καὶ βεβαίαν, & rationem addit, quia anchora illa penetrat usque ad interiora velaminis, ubi Christus est. Estq; dulcissima metaphora.

VII. à proprietatibus fidei.

Fide invocatio facienda est, iuxta Christi dictum Marc. 11. Omnia quæcunq, orantes petitis, credite quia accipietis &c. Necesse est igitur fidem significare fiduciam statuentem Deum esse propitium propter Christum.

Species.

1. Fides alia est firma, alia infirma: vel alia est parva, alia magna.
2. Alia est ἀνυπόκριτος, alia ὑπόκριτος, alia non ficta, alia ficta.
3. Alia est mundi, alia verè fidelium.
4. Alia est πολύκαρπος, alia ἄκαρπος.
5. Alia est προσκαιρικὴ seu temporaria, alia durabilis & constans.

Efficiens.

Fides non innascitur nobis naturaliter, nec humana industria paratur, quia non est κοινῶν ἐννοίων, neq; etiam talium νοημάτων conceptus, quæ ortum habeant ex ratione, sed est mysteriorum propria. Ideoque non viribus nostris, sed divino plane munere atque dono nobis obtingit. Quodq; sit solius Dei donum, & nulla sit Synergia voluntatis humanæ ostendunt perspicua oracula Spiritus Sancti.

Colos. 2. In quo resurrexistis per fidem operationis Dei. Heb. 12. respicientes ad ἀρχηγὸν καὶ τελειώτην fidei nostræ. Philip. 1. Quia vobis datum est per Christum, ut non solùm credatis in ipsum, sed & pro ipso patiamini. Phil. 2. Deus est, qui operatur in vobis velle & perficere. Ephes. 2. Gratia salvati estis per fidem, idq; non ex vobis, Dei verò donum est. Ioh. 6. Sic dicitur, quòd fides sit Dei opus non nostrum, quia non operâ nostrâ extitit, cùm tamen existit, nostrum factum est, & ideo donatur à Deo, ut fides nostra sit, quemadmodum Christi vox est, fides tua te salvam fecit Matth. 9.

Obiectat autem ratio: Si fides est solius Dei donum, & homo non habet liberum arbitrium, quomodo Deus exiget fidei rationem ab unoquoque in ultimo iudicio. Si enim non habet homo liberum arbitrium, Deus non exiget fidei rationem ab homine.

Resp. Deus vult omnibus dare fidem seriò, voluntate non absoluta, sed hac conditione determinata, si ordinem ab ipso sancitum sequantur, id est, fidei organis legitimè utantur. Sic præcipit ut resipiscamus, credamus &c. non nudè, sed adjungit media & organa fidei conferendæ, adjungit promissionem efficaciæ per ministerium, adjungit Spiritus sancti operationem qui operatur id, quod in arbitrio virium nostrarum non est, dum modo media non negligamus, sed usurpemus serio auditu. Sic Deus exiget rationem fidei ab unoquoq;, scilicet eo ordine, quem ipse præscripsit, præcipiens, ut Evangelium audiatur & Sacramenta usurpentur: Iam verò qui verbum & Sacramenta contemserunt, ij fidem habere non potuerunt.

Sic igitur homo non haberet liberum arbitrium, scilicet in mediis externis usurpandis, Deus non exigere posset fidei rationem, Sed homo habet liberum arbitrium, ut possit audire verbum & uti Sacramentis, per quem auditum & usum Spiritus sanctus fidem efficere vult. Ergo Deus exiget fidei rationem ab homine secundum verbum. Verbum enim meum iudicabit ipsos Ioh. 12. Sic potest intelligi, quando aliqui orthodoxi dicunt, homines posse credere. Nam verbo posse inest sensus impersonalis, & possibilitas notatur simplex tantùm, non facultas

aliqua

aliqua homini inhærens, id eſt, poſſe homines pervenire ad fidem per ordinaria media.

προκγυμένη.

Eſt gratia Dei immenſa.

Calviniſtæ in cauſa προκγυμένη impingunt. Grynæus in charactere Chriſtianorum fol,18. ponit hæc verba: Cauſſa προκγυμένη in Deo fidei donum ſuo cuiq; tempore largiente eſt gratuita electio noſtri. Credimus enim, quia electi ſumus in Chriſto, antequam iacta eſſent mundi fundamenta, non autem ideo electi ſumus, quia Deus prævidit (prævisionem à decreto non ſeiungimus) nos aliquando credituros. Pendet igitur ab electione fides, ut effectus à ſua cauſſa, non contrà à fide pendet electio. Stat enim illud: Gentes autem gaviſæ ſunt & glorificabant ſermonem Domini, & crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.

1. Latibulum quærunt in phraſi, credimus, quia electi ſumus. Nam fingũt abſolutã electionem ideoq; fidem ex abſoluto decreto electis dari cẽſent, & hoc pſeudodogma ſtabilire conãtur hoc axiomate: Electio eſt cauſſa fidei, ſed fides non eſt cauſſa electionis. Nos verò ſtatuimus electionem ordinatam & determinatam fide. Sic Act.13. Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam, τεταγμένοι ἦσαν verbum præteriti pluſquamperfecti temporis innuit præordinationem ſeu prædeſtinationem æternam: Evangeliſta reſpicit ad ordinem mediorum, crediderunt, id eſt, ad fidem pervenerunt, quotquot iſtum ordinem ad ſalutem à Deo conſtitutum ſunt ſecuti. Non igitur eſt vera ſententia Calviniſtarum, ideo electos ſeu paucos credere, quia paucos elegerit, ſeu paucos Deus elegit, ideò pauci credunt: ſed hæc eſt vera ſententia, quia pauci credituri erant, ideò etiam paucos elegit Deus, qui elegiſſet tamen omnes, ſi omnes crederent: ad quam fidem uſurpatione mediorum pervenire potuiſſent & poſſunt.

II. Quadruplex eſt opinio de prævisa fide.

1. Papiſtarum, de prævisione fidei & operum qui fidem tanquam qualitatem & futura bona opera aut prævisum & bonum liberi arbitrij uſum ita prædeſtinationis negocio interſe-

runt, ut hinc motum Deum disputent, quòd hos & non alios elegerit: hæc sententia est falsissima, & peccat in excessu, quasi nos propter prævisam fidem, ob prævisa opera, aut futurum liberi arbitrij usum electi simus. Non enim quicquid prævidit Deus in nobis, cuius dignitate motus nos elegerit.

2. Calvinistæ in defectu peccant. Nam præscientiam cum prædestinatione confundentes, præscire pro suis agnoscere sumunt; ideoq; garrit Grynæus: Non ideo electi sumus, quia prævidit nos aliquando crediturus.

3. Sic & novatores quidam præscientiam Rom. 8. quos præscivit hos & prædefinivit, ad omnes homines referunt, quia præscivit Deus nascituros in mundum, ideo omnes electos esse adserunt.

4. Lutheranorum verò sententia per adversos scopulos media & salva enavigat, tribus constans partibus:

I. An electio facta sit sub intuitu fidei.

II. An prævisæ fidei phrasis locum habeat in articulo prædestinationis?

III, Quomodo intelligenda sit phrasis de prævisa fide?

Prævisio non est cum electione confundenda, sed ab eadem distinguenda, non est abiuncta, sed coniuncta. Scriptura ipsa includit præscientiam electioni Rom. 8. Quos præscivit hos & prædefinivit. 1. Pet. 1. Electi sumus κατὰ πρόγνωσιν θεοῦ πατρός, &c. Et observatu digna est notatio electorum Ioh. 17. Vbi Christus â fidei nota nos sic pingit, atque fidem ipsorum verbis futuri temporis ita describit, ut appareat fidem illorum, quæ in tempore per usum mediorum accendenda erat, inde ab æterno fuisse Dei præscientiæ subiectam, non oro pro ipsis tantùm, sed etiam pro his, qui per sermonem illorum crediturí sunt in me. 1. Tim. 1. Paulus nominat electos μέλλοντας πιστεύειν ad exprimendum exemplar ijs, qui in ipso crediturí sunt. Ergò recte asseritur Deum futuram fidem in electione intuitum fuisse. Sic phrasis prævidit crediturus, exemplo Christi & apostolorum Pauli & Petri usurpatur. Competit autem phrasis hæc Deo κατ' ἀνθρωποπάθειαν. Nam in Deum non cadit πρόγνωσις, sed γνῶσις, & Deus scit potius credentes, quàm præscit crediturus. Hinc simplicior & nostro captui accommodatior est locutio,

Deum

Deum elegisse omnes credentes, quæ phrasis nihilominus illam πρόγνωσιν implicitè involvit.

Deinde homo est eligibile: ipse enim eligitur. Nihil autem Deus in homine invenit, neq; bona opera, neq, bonum arbitrij usum, imò nec ipsam fidem, ut hinc motus quenquam elegerit: sed unicum meritorium obiectum est Christus, cuius respectu nos Deus elegit. Christus autem dupliciter consideratur. 1. Ratione meriti. 2. ratione applicationis. Hic Christus suo merito nõ nisi fide appræhensus seu appræhendendus, electionis caussa est, atq; ita fidei conditione generale illud meriti beneficium, quoad fructum ad solos credentes astringitur. Sic igitur fides ingreditur decretum electionis non ποιητικῶς, quòd in Deo, ut nos eligat efficiat, sed ὀργανικῶς, quod oblatam gratiam Dei appræhendat. Illam appræhensionem in oculis habuit & aspexit ab æterno Deus, ut mediũ à se ordinatũ, & in tempore à Spiritu Sancto donandum non ἀμέσως, sed ἐμμέσως per verbi auscultationem & meditationem Ioh. 6. Rom. 10. Ergo prævidit Deus fidem futuram, quam ipsemet largiturus erat, non absoluto decreto quibusdam, non immediatè, sed mediatè, audientibus & discentibus, & Spiritui sancto non aditum ad operandũ præcludentibus, per ordinaria media non neglecta sed usurpata.

Hinc facilè dijudicari potest novum dogma de universali electione absoluta.

Aliqui orthodoxi terminum electionis universalis usurparunt ex hisce caussis.

I. Absolutum decretum reprobationis & electionis hoc termino impugnârunt, & voluerunt innuere voluntate Dei antecedente neminem præteritum esse contra cerebrosos conscientiarum perturbatores Calvinianos.

II. Quia voluntas Dei paterna seu gratia & misericordia non particularis sed catholica sit.

III. Quia caussæ subordinatæ, & subordinata media electionis, scil: ministeriũ verbi & Sacramentorũ, promissiones gratię, mandatum Dei de audiendo filio Dei, promissio doni conversionis & fidei non sint μερικὰ sed καθολικὰ. Ideo salvo aliorum iudicio & scripturæ norma ex uniuersalitatib. illis universalitatem quandã urgere voluerunt hisce cautelis observatis.

I. Vsi sunt termino hoc Sacramentariæ significationis.

ſenſu & καταχρηστικῶς. 2. per univerſalem electionem particularem credentium non ſuſtulerunt, aut ἀντιφατικῶς oppoſuerunt, cùm non opponãtur contradictoriè hæ ſententiæ : Deus vult homines ſalvos fieri per agnitionem fidei ſeu Chriſti : Et Deus credentes ſalvari voluit ſeu ad vitam elegit. Sunt enim ſubalternæ & ſubordinatæ, non contradictoriæ. 3. Ab arcano electionis non ſecluſerunt fidem, ſed eidem incluſerunt, idq; teſtatur liber viſitatorius. 4. Docentes electionem eſſe univerſalem in voluntate Dei nihil aliud voluerunt innuere, quàm quòd velit Deus ab æterno ut omnes in Chriſto eligantur, iuſtificentur & ſalventur per media ordinaria, verbum, Sacramenta & fidem. 5. Statuerunt electos eſſe tantùm in numero vocatorum & eſſe hos ſolos credentes. 6. Eo tempore, quo ſcripſerunt iſta, ne cogitarunt quidem, quod ullo vocabulo confirmare vellent has ſententias : Vniverſalem electionem eſſe propriè ita dictam, & omnes propriè homines eſſe electos ſive credant, ſive non credant. 7. Cum iis, qui voluntatem Dei univerſalem prædeſtinationem univerſalem nominare non voluerunt, non litigarunt, nec litigabunt. Re enim intellecta in verborum ſenſu faciles eſſe debemus. Sic igitur principiò diſputatio hæc fuit ſolummodo πρὸς τὸ ὄνομα.

Electio non eſt abſolutè univerſalis, nec abſolutè particularis. Vult Deus ut omnes ſint ex electis 1. Tim. 2. ſed nõ abſolutè, ſed limitatè, ſi agant pœnitentiam & credãt, quia autem nõ omnes credunt etiam non õnes actu eligũtur, quos tamen voluiſſet eligi, ſi credidiſſent.

Hæc autem pſeudodogmata ſunt reiicienda.

1. Quando docetur creationem hominis eſſe medium ad vitam, per quod Deus electionem ſuam in effectum deduxerit, cùm electio lapſum & perditionem hominis reſpiciat, quæ creationem ſecuta eſt, nec opus fuiſſet electione in Chriſto, ſi homo in integritate permanſiſſet. Item univerſalem eſſe electionem propriè ſic dictam, & omnes homines verè, propriè & univocè eſſe electos, ἐκλεκτοὺς eſſe tantùm in Eccleſia credentium, ἐκλελεγμένους autem in Chriſto ad vitam eſſe etiam extra Eccleſiam credentium paſsim omnes illos, qui Chriſto, in quo electi erant, reluctantur, & Dei conſilium irritum faciunt. Sic igitur diſputatio eſt πρὸς τὸ πρᾶγμα. Et ſtatus controverſiæ eſt : Num Deus omnes indiſcriminatim homines ſive credant ſive non credant, elegerit ad vitam æternam electione propriè ſic dicta? Et num propriè electi & ἐκλελεγμένοι ſint etiam Epicuræi & manifeſti hoſtes Chriſti, ſive in Eccleſia, ſive extra Eccleſiam?

clesiam? Vel utrum actus electionis in sese absque respectu & consideratione fidei sit consummatus. Expedita autem responsio est, scriptura electionem definit non tantùm ratione τῆς δόσεως, sed etiam ratione τῆς λήψεως; Et ita electionis terminus significat λαοδοσίαν, id est, voluntatem generalem cum ordinatione mediorum salutis copulat &c. Ita ut actus electionis duabus rebus, scilicet, misericordia Dei & merito Christi absq; respectu fidei non sit absolutus, sed tribus constet:

1. Misericordia Dei.
2. Merito Christi.
3. Respectu fidei.

Hæc sunt tria requisita electionis ἀδιαμάντινος cohærentia, ut una harum deficiente nulla fiat electio. Ergo erronea est electio universalis, absoluta & ex parte ἄτακτος.

Vera autem sententia est: Electio est universalis tum respectu omnium credentium: tum respectu eo, quòd non ad certam aliquam gentem seu populum refertur; sed omnes cuiuscunq; sint generis, dum modò in Christum crediderint vera & perseuerante fide, respicit.

Deinde etiam hæc sententia erronea est. Pendet ab electione fides, ut effectus à sua caussa, non contrà à fide pendet electio. Nam utrumque rectè asseritur, electio pendet à fide, & fides pendet ab electione. Non enim sunt à Deo electi, nisi credentes, scilicet finaliter, & fidem istam non habent, nisi electi. Pendet autem electio à fide, non ut à caussa impulsiva aut meritoria, sed à caussa instrumentali. Non enim ob fidem prævisam, nec propter fidem sumus electi, sed per fidem, seu potius per & propter Christum fide appræhensum. Ergo fides in electione non habet impulsionis nec meriti locum, sed conditionis ordinatæ. Econtrà pendet ab electione fides dupliciter. Primò quidem si æternum Dei consilium & decretum de electione consideretur, fides illi tanquam præcipuum membrum inclusa est. Deinde verò, si æterna prædestinatio, facta antequàm mundi fundamenta iacerentur, respectu executionis, quæ suo tempore subsecuta est, pensitetur, illa profecto fidei caussa prima & efficiens est fidesq; ab æterna electione, ut effectus à caussa dependet.

In Concordiæ formula electio dicitur caussa esse, quæ nostram salutem procuret, efficiat, iuvet, promoveat. Et operari & efficere dicitur electio, quòd propter electionem & per eandem Deus efficit & operatur, perinde ac si creato doctore eruditio ipsius hoc fecisse dicatur, quòd propter eruditionem eius fecit is, qui insignia ipsi doctorea contulit.

Verum esto: Fidei caussa est electio: & decretum electionis sit caussa non tantùm fidei & salutis, sed ipsius etiam missionis & mortis filij Dei: non tamen rectè colligitur, fides effectus est electionis. Ergo non caussa. Nam fides est effectus electionis, quatenus virtute Spiritus sancti per decreta ab æterno & ordinata à Deo media excitatur: & caussa instrumentalis illius & quidem duplici respectu. 1. ratione promissionis gratiæ, quam non nisi fide amplectimur. 2. Meriti Christi, quod nemini prodest, nisi fide applicatum.

Ex his potest facilè intelligi blasphemum dogma Calvinistarum de absoluto decreto electionis & reprobationis. Absoluti autem vocabulum aliàs usurpatur de voluntate Dei generali & simplici, qua Deus absolute ex sese & per sese aliquid vult & efficit; qualis voluntas in creatione mundi apparet, qua singulas creaturas pro suo nutu regit, cuius voluntatis processus, quandoquidem ipsi nullus hominum resistere potest, impediri nequit Esa. 14. 46. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Sic à Deo absolutè & immutabiliter decreta sunt missio filij, redemptio, resuscitatio mortuorum, extremum iudicium. Sed de hoc significatu nulla est disceptatio. Postea in specie in articulo prædestinationis, Absolutum opponitur ordinato à Calvinistis, & sic absolutam voluntatem vocant, quâ Deus ab æterno paucos elegerit absolutè, sine ulla consideratione alicuius rei, reliquis absolutè relictis, & sic absolutam voluntatem eandem faciunt cum electione, quæ sententia est falsissima. Nam ut electio non est absolutè universalis: Ita etiam non est absolutè particularis, quia τάξεως seu ordinis electionis sunt tres partes, quæ aliàs vocantur requisita. 1. Gratia Dei. 2. Meritum Christi. 3. Fides. Ergo errant Calvinistæ, qui totam τάξιν seu ordinem electionis distrahunt, & unicam tantùm partem ponunt, absolutam nempe gratiam, & voluntatem

Deus non absoluta voluntate vult omnes homines salvari, sic enim o-

tem Dei absq; Christo, & absq, fide. Impingunt quoque qui ex parte electionem ἄτακτον relinquunt, definientes eam sola gratia & merito Christi absq; fide, cum posita sit non in parte duntaxat τάξεως, sed in tota τάξει. Rectè autem docent Lutherani, quòd electio sit universalis respectu omnium credentium, particularis verò respectu totius mundi. Discrimina tamen sunt inter particularem electionem Calvinianam, & particularem, quam Lutherani docent, hæc:

I. Calvinistæ caussam particularitatis ponũt in Deo, & absoluto decreto: Lutherani verò in hominibus.

II. Calvinistæ particularitatem ingerunt ipsi merito Christi, quod particulare faciunt: Lutherani verò particularitatem meriti Christi damnant, & particularitatem electionis non opponunt universalitati meriti Christi, sed eidem illam ὑπαλλήλως subijciunt, imò electionem secundum hoc universale meritum explicandam esse docent.

III. Calviniana particularitas simul introducit promissiones particulares, & universalitati promissionum Evangelicarũ cõtrariè opposita perhibetur: Lutherana universalitati promissionũ non est opposita, sed eidem inclusa & subordinata.

IV. Calviniana particularitas vocationem non universalem sed particularem infert: Lutherana verò relinquit intactam universalitatem vocationis, & eiusdem particularitatem per accidens stabilit.

omnes salvarentur. Nemo enim eius volũtati resistere posset? Sed restricta volũtate in Christo. Extra quem neminem vult salvare. Sic gratia & misericordia Dei salvantur credentes, non autem absoluta sed limitata in Christo. Vocabulum autem Christi omnia media comprehendit, quæ ad ipsius cognitionem requiruntur, quæ συνενδοχικῶς simul omnia nomine fidei complectimur.

Instrumentales.

Homini à Deo medium tale propositum est, quo ex ordinatione divina utiliter ad fidem consequendam uti potest. Est autem illud medium adipiscendæ, fovendæ, augendæ & conservandæ fidei, scilicet verbum & Sacramenta. Et πρώτως seu originaliter fides adscribitur Deo tanquam caussæ efficienti: δευτέρως seu secundariò ministris verbi seu verbo Dei prædicato & audito, quatenus instrumentum est, quo in homine fidem ordinariè operari decrevit. Huc referenda sunt testimonia, quæ prædicato & audito verbo, imò & scripto, lecto & meditato hanc efficacem operationem attribuunt.

Errant igitur Calviniſtæ, qui omnem ἐνέργειαν & virtutem adimunt verbo & Sacramentis. Aliqui enim expreſsè negant, quòd verbum & Sacramenta ſint media & inſtrumenta gratiæ, Spiritus ſancti & fidei. Oecolampadius contra Suevicum Syngramma, Ex verbis nil niſi verba imò ſtrepitum verborum habemus, Et ſic non credunt verbum & Sacramenta eſſe inſtrumentales cauſſas conferendæ gratiæ. Sarcaſmus Satanicus extat in Buceri Iohanne & alijs ſcriptis, ubi vocat confidentem temeritatem Lutheranorum, qui ſcribunt, nemini Spiritum & fidem dari niſi per externa illa, verbum & Sacramenta.

Contrà alibi ſcribit Calvinus & Beza, quòd Sacramenta ſint efficacia & viva gratiæ organa.

II. Licet diſcipuli interdum commodius loquantur, quàm ipſorum fecerunt præceptores: Tamen præceptorum errores non damnant, & ad alia latibula confugiunt. Ponunt quidem phraſes, quòd verbum prædicatum & Sacramenta externa ſint media & organa Spiritus ſancti efficacia: Itemque miniſterium verbi ſit efficax organon Spiritus ſancti, per quod fidem & converſionem in cordibus electorum accendat & confirmet: Sed mox addunt κρησφύγετα.

1. Duplex eſſe miniſterium verbi, externum & internum.

2. Internam vim & efficaciam, qua ſanctificemur, non eſſe miniſtrorum, nec in ipſorum externo verbo & actionibus (Sacramentorum ſcilicet adminiſtratione) incluſam, ſed eſſe Spiritus ſancti, negant virtutem ſalvificam in, cum, ſub voce miniſtri, vel ad eam alligatam, in ea incluſam eſſe. Negant miniſtros cum externis interna dona exhibere, adſerunt adminiſtratione Sacramentorum externa duntaxat ex manu miniſtri, promiſſa verò dona ex ipſius Dei manu capi.

Quomodo igitur verbum & Sacramenta, ſunt efficacia Spiritus ſancti organa, ſi in illis & per illa Spiritus ſancti dona nobis non conferuntur? Eſt ergò κυβεία Calviniana in phraſi, quòd verbum & Sacramenta ſint organa Spiritus ſancti.

Ludus aleæ, nequitia.

3. Beza reſponſ. 2. pag. 115. fatetur, fidem dici eſſe ex auditu verbi prædicati: Verbum quod auribus noſtris inſonat, ſemen vitæ à Petro nuncupari, Paulum Timotheo ſcribere: Hæc docens teipſum ſervabis, & alios, qui te audierunt: Illas verò locutiones

cutiones sic intelligendas esse docet, quòd verbum illud significet id, quod unius sit divinæ virtutis. Quòd inquit, sermo audientes afficit, non arguit vim ullam aliam ipsis, quæ audiuntur vocibus inesse, quàm res illas significandi, de quibus dicuntur, sit sermo Dei vivus penetrantior quovis gladio, nulla tamen vis spiritualis & intrinseca existimanda est illis insita, sicut de naturalibus alimentis & medicamentis diximus, sed de ipsis dicuntur habita sacræ illorum σχέσεως ratione, quod videlicet Dei Spiritus solus sua vi præstet ea, quæ per vocem hominum declarat & tùm verbis, tùm adiunctis signis visibilibus significat.

Grynæus citans dictum Pauli 2. Cor. 3. de ministerio spiritus vivificantis, in disputatione Heydelbergensi Anno 84. Thes. glossatur. Meminerint pij ministerio externo eius cohonestandi ergò phrasi Sacramentali effectum ministerij interni hoc Pauli dicto alijsq; similibus tribui. Phrases verò Sacramentales vocant, quando signo nomen rei signatæ tribuitur, propter σχέσιν & relationem signi ad signatum. Iuxta hanc glossam 2. Cor. 3. Ministerium Evangelij est & dicitur ministerium Spiritus, quia significat Spiritum sanctum & illius dona. Evangelium erit potentia Dei ad salutem, quia significat potentiam Dei ad salutē, fides erit ex auditu verbi, quia auditus verbi significat ea, quæ credenda sunt, vel quæ intrinsecus operatur S. sanctus. Sic fraudem cōmittunt in usurpatione præpositionis Per, cùm dicunt, quòd Spiritus sanctus operetur fidem per verbum prædicatum. Nam vocem *per* ponunt pro adverbijs simul & unà. Hæc est παυουργία Calviniana, de effectu & efficacia externi ministerij verbi & Sacramentorum, phrases enim apud adversarios sunt æquipollentes, quarum una hæc est: Verbum externum & Sacramenta sunt & efficacia media & organa Spiritus sancti. Altera verò: Verbum & Sacramenta non sunt media & instrumenta Spiritus sancti, utpote qui per illa ne tantillum quidem intrinsecus, vel in interno homine efficit & operatur: Sed sunt media efficacia, id est, significantia eorum beneficiorum, quæ ipse & solus Deus interno homini confert, atque in illo operatur: vel sunt talia media, quæ externis oculis

Fraus, vafritia, subdola & improba. Item solertia minimè commendabilis.

& auribus declarant, & tùm verbis, tùm adiunctis signis visibilibus significant ea, quæ solus Dei Spiritus sua vi, verbo & Sacramentis nullo modo communicabili præstat. Hic est SchvvenckfeldioCalvinismus. Nam Schvvenckfeldius docet, tres esse crassos errores eorum qui dicunt:

I. Verbum à se prædicatum vocale esse vivificum verbum Dei.

II. Quòd sit potentia Dei ad salutem.

III. Quòd Deus internè in anima per externa media operetur, imò quòd externum semper & necessariò debeat præcedere, quasi verò sine eo non possimus consequi salutem.

Sic igitur controvertitur inter nos & Calvinistas de efficacia verbi. Extra controversiam sunt posita.

1. Quòd minister Christi sit externa & visibilis persona.

2. An verbum à ministro prædicatum sit sonus & vox articulata?

3. An vox concionatoris auribus corporis excipiatur?

4. Quòd minister externus Ecclesiæ pro sua persona & ex suis viribus, sicut homo naturalis consideretur, Spiritum sanctum eiusq; dona suis auditoribus dare nequeat. Nam virtutem & efficaciam, quæ solius Dei est, nemo sibi, aut eloquentiæ suæ vendicare debet. Non enim est in sermone regnum Dei, sed in virtute, neque qui plantat &c. Sed qui dat incrementum, 1. Cor. 4. 1. Cor. 15. Non ego sed gratia &c. Ergo evanida concionatoris vox non est tàm potens, ut per se hoc efficere possit.

5. Hanc potentiam & virtutem, quam verbo Dei adscribimus, non inesse syllabis tanquam characteribus, Hæc omnia in confesso sunt.

Est autem verus status controversiæ.

An dona Spiritualia & cœlestia nobis à Deo ἀμέσως immediatè conferantur? an verò per externa & sensibilia media verbi & Sacramentorum.

SchvvenckfeldioCalviniani tuentur negativam, nos affirmativam. Calvinistæ appellationem quidem mediorum admittunt, sed omnem illis vim & efficaciam adimunt, ideoq; media intelli-

intelligunt non verè & propriè media, sed impropriè & κατα-χρησικῶς & phrases de effectu verbi μετωνυμικῶς καὶ σχετικῶς & cohonestandi ergò usurpatas intelligunt.

Hinc sunt egregia emblemata Calvinistarum.

1. Nunquam Cathedram Spiritus sancti verbo vocali tribuemus, Et ex verbis nil nisi verba, imò strepitus verborum Oecolampadius.

2. Fidem non obvenire ex verbo, sed immediatè à Deo dari, & quidem ex fatali decreto.

3. Verbum & Sacramenta fidem non operari nec augere.

4. Fidem dari ex prædestinatione infantibus credentium parentum sine verbo & baptismo.

Affirmativa orthodoxorum.

I. Deum non absq; medio fidem in nobis inchoare, accendere, & efficere præter & extra usum verbi & Sacramentorum, sed verbum & Sacramenta esse ordinaria media, quibus tanquam suis externis organis & instrumentis utitur Spiritus sanctus, ut per illa in cordibus hominum operetur, accendat, augeat & conservet fidem & alia cœlestia dona.

Placuit Deo fidem in hominibus operari non iuxta absolutam potentiam, sed iuxta voluntatem ordinatam, per prædicatum auditumq; verbum 1. Cor. 1. Visum est Deo per stulticiam prædicationis salvos facere credẽtes. Ergo verbum est ordinarium medium, per quod Spiritus sanctus vult operari fidem.

1. Thess. 2. Accepistis sermonem non hominum sed Dei, qui & ἐνεργεῖται agit in vobis. Ergo Evangelium non est litera mortua, sed efficacissimum organon, per quod Deus in salvandis hominibus vult esse efficax. Si verbum prædicatum absque Spiritus sancti operatione existit, quomodo erit potentia Dei ad salutem?

Rom. 10. Quomodo audient absq; prædicante? Ergo fides ex auditu est, auditus autẽ per verbum Dei. Ergo Deus non vult fidem solo suo Spiritu, eiusq; interna operatione sine externo instrumento operari, sed illud cœleste donum confert, in, sub, cum verbo vocali externo, quod ex ore prædicantis exit, & externis auribus percipitur.

Ideoq;

Ideoque per sermonem Evangelij credere, seu ad fidem pervenire dicuntur homines Ioh. 1. 17. 1. Cor. 3. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed Deus dat incrementum. Ergo fides est donum Dei. Ne autem quis putaret, Deum operari fidem immediatè sine ministerio verbi, addit Apostolus. Quis igitur est Paulus, quis Apollo? nisi ministri, per quos credidistis: ideoq, se suosq, in apostolico munere collegas Dei συνεργοὺς seu cooperarios vocat 1. Cor. 3. Apostolus. 1. Tim. 4. Id si feceris, teipsum servabis, & eos qui te audierint. Vbi idem vocabulum σώσας ponitur, quod de Christo Matth. 1.

II. Est unum & idem verbum Dei in auribus & cordibus piorum & impiorum. Sed bifariam Deus agit. 1. externè. 2. internè. Externè per verbum externum seu prædicationem & lectionem verbi, & Sacramenta. Internè per Spiritum sanctum, fidem & alia dona. Modum autem ordinarium sancivit hunc, ut ordinariè per instrumenta externa agat, & ea præcedant, internus verò fructus sequatur. Licet igitur exterius & interius operetur: tamen interna dona non nisi per organa externa & media ab ipso ordinata confert.

Extraordinariè autem in casu necessitatis potest agere in suis pro divino suo beneplacito, In adultis quidem fidem operatur per verbum prædicatum & auditum: In parvulis verò per baptismum. Ergo manet verbum Dei, & est insita à Deo virtute ἐνεργητικὸν ad salutem à quocunq; tandem homine prædicetur.

III. Sacramentorum par est ratio. Opinio de ministerio duplici seu verbo interno & externo Schvvenckfeldianismum infert, qui ministerium externum à virtute Spiritus Sancti & verbi filij Dei prorsus separat, & externo ministro nihil aliud tribuit, quàm quòd externo sono vocis suæ aures auditorum feriat, nihil verò hoc ad cor pertinere vel ferire. Quod verbis Pauli apertè repugnat: Fides est ex auditu, auditus per verbum Dei. Non autem intelligit verbum internum sed verbum prædicatum, quod insonat auribus, sicut præcedentia verba manifestè docent. Quomodo credent, de quo non audierunt?

Quomo-

Quomodo audient absq, prædicante? Per hoc prædicatum verbum, in hoc prædicato verbo, sub hoc prædicato verbo, cum hoc verbo prædicato, Christus verbum efficax est, sicut Ioh. 17, inquit: Non pro eis tantùm rogo, sed & pro ijs, qui per sermonem illorum credituri sunt in me. Hoc non modò nusquam dicunt adversarij nostri, sed haud obscurè contrarium innuunt videlicet, *internum verbum* à fideli corde duntaxat à Christi fratribus percipi. Quasi verò internum verbum non tàm adsit verbo prædicato impœnitentibus, quorum corda ferit, & in testimonium contra ipsos etiam eorum corda convincit, ut minimè inanis sonus sit, qui tantùm in auribus impiorum hæreat, sed hoc ipsum verbum prædicatum in corde sentiatur, quo cor movetur vel ad obædientiam, ut fieri solet in fidelibus, vel ad maiorem contumaciam, quod in hostibus veritatis videre licet Act. 7. Hic est Schvvenckfeldio Calvinismus de verbo vocali: Verbi ministros verbum externum prædicare: Sic in Sacramentis tantùm externa dare, in baptismo aqua baptizare, & & in cœna nihil aliud dare, quàm panem & vinum externum, nequaquam verò corpus & sanguinem Domini.

IV. ἑτεροδιδασκαλία Cinglianorum Epicuræo contemtui verbi & Sacramentorum viam sternit.

Obiectum.

Credendæ res & fidei obiecta sunt, quæ Deus nobis proposuit, & quibus tutò fides innititur. Sunt autem varia obiecta fidei in genere & in specie.

In genere. Generale est omne verbum Dei seu omnes articuli fidei Christianæ. De hoc generali obiecto intelligitur dictum Apostoli. Hebr. 11. Fide transierunt patres per mare rubrum, & exempla fidei: Ebr. 11. Sic communiter definitio fidei dicit, quòd sit assentiri omni verbo Dei. Fides respicit Deum per verbum suum sese revelantem, & voluntatem suam patefacientem secundum legem & Evangelium, iuxta illam quidem postulantem integram obædientiam & damnantem omnes eam non præstantes, iuxta hoc verò nobis promittentem & offerentem impletionem legis per Christum præstitam, & ob eam imputa-

tam donantem remiſsionem peccatorum, Spiritum ſanctum & vitam æternam, & quod Deo tribuat in utroq; laudem ſapientiæ, iuſtitiæ, veritatis & omnipotentiæ, ut qui ea, quæ promittat, velit, & poſsit credentibus præſtare. Hinc alia teſtimonia loquuntur de Deo, quaſi obiecto fidei. 1. Pet. Qui per illum creditis in Deum 1. Ioh. 5. Qui non credit Deo Rom. 3. Gal. 3. Alia de verbo Dei ſeu promiſsione Evangelij 1. Pet. 4. qui non credunt Dei Evangelio. Rom. 4. fidem ad promiſsionem Dei reſpicere docet. Alia de Chriſto & eius merito Ioh. 3. Qui credit in me &c.

In hiſce tamen ſingulis συνεκδοχικῶς omnia illa tria, Deus, promiſsio, meritum Chriſti incluſa ſunt.

In ſpecie. Proprium fidei obiectum eſt doctrina vel hiſtoria Evangelij de Chriſto. Specialiſsimum & proprijſsimum obiectum fidei iuſtificantis, cuius reſpectu & appræhenſione iuſtificat coram Deo, eſt promiſsio gratiæ. Sic obiectum iuſtificantis fidei non eſt doctrina de bonis operibus, non quælibet promiſsio, ſed promiſsio Evangelij propria de Chriſto.

Contrà.

Paulus ait, imputari fidem ad iuſticiam credentibus in eum, qui excitavit Ieſum ex mortuis, quæ perſonæ patris notatio eſt.

Ergo fides in Deum patrem iuſtificat.

Reſpondeo. Eadem eſt fides, quæ fertur in Deum patrem, qui nos ſua gratia iuſtificat, & quæ fertur in Chriſtum, qui ſuo merito iuſtificat. Creditis in Deum, dicit Chriſtus, & in me credite.

Quamobrem fides ſua ἐνεργείᾳ intuetur utramq; principalem cauſſam iuſtificationis, id eſt, non tantùm meritum paſsionis Chriſti, ſed etiam miſericordiam Dei patris, quæ non minus ad iuſtificationem pertinet, atq; Chriſti paſsio. Et hæc ſunt individuo nexu ſic copulata, ut Deus nemini miſericordiam ſuam exhibeat extra Chriſti meritum, ideoq; utrumq; appræhendit fides, & interdum fides in Deum, interdum fides in Chriſtum nuncupatur. Sic ſæpè vocantur obiecta fidei, in quæ fides recumbit, ſcilicet miſericordia Dei & meritum Chriſti. Iſtæ enim ſunt baſes noſtræ ſalutis.

Obiecta

II.

Obiecta secundum quantitatem rerum creditarum sunt duplicia: Spiritualia, ut remissio peccatorum, iusticia, donatio Spiritus sancti, vita æterna, &c.

Corporalia obiecta & externa sunt, quæ ad istam potissimum vitam conservandam pertinent, ut sunt pax politica, bona valetudo, victus, felicitas in rebus agendis &c. hæc patent ex rebus, quæ exponuntur in biblijs &c. Est itaq; observandum, fidem versari circa res Spirituales & corporales.

Fides circa res corporales simul complectitur promissionem de gratuita remissione propter meritum Christi. Sicut Paulus docet exemplum Abrahæ allegans, cui fides, qua amplexus est promissionem, patrem multarum gentium constituam te, & sic erit semen tuum, imputata sit ad iustitiam Rom. 4. Gal. 3. Et Ebr. 11. exempla piorum patriarcharum & prophetarum commemorantur, quæ docent, fidem eorum non tantùm circa res externas & corporales promissiones versatam esse, sed simul comprehendisse promissiones Spirituales. Alij docent, quòd obiectum fidei aliud sit proprium & immediatum, aliud mediatum & improprium: Ideoq; fidei res sit cum Deo, sed non immediatè, verùm mediante verbo, eoq; non quovis, sed visibili & audibili, si Deus sit credendus; historico, vel res externas promittente, ut credatur Deo; Evangelico, ut credatur in Deum.

III.

Obiecta fidei sunt triplicia, secundum qualitatem rerum creditarum.

I. Contraria.
II. Invisibilia.
III. Dilata.

I. Contraria.

Rom. 4. Qui vivificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt ac si sint, qui credidit contra spem, in spem, id est, 1. Credidit Deo contra naturæ ordinem promittenti seu vocanti ea, quæ non sunt.

2. Credidit contra ſpem ex rationis humanæ principijs ortam in ſpem fide in verbo conceptam. Ergo credidit res cum ratione pugnantes ex diametro.

II. Dilata.

Heb. 11. Fides eſt ὑπόστασις πραγμάτων ἐλπιζομένων. Res ſperãdę ſunt promiſſa bona privativa & poſitiva. Fides eſt inſtar baſis & columnæ ſeu fundamenti earum rerum, quæ ſperantur, adeo ut indubitatò res futuri ſeculi ſperare liceat. Heb. 11. Iuxta fidem deſumti ſunt omnes iſti, non accipientes, ſed procul eos aſpicientes & credentes, id eſt, tres patriarchæ, Abraham, Iſaac & Iacob, tametſi ne latum pedem poſsiderent in terra Canaan, ut Act. 7. dicitur, nec complementum promiſsionum factarum, reipſa perciperent, ſed diu ante eventum promiſsionum Dei morerentur: Tamen crediderunt illi futura, ac proinde tantò illuſtrior eſt fides illorum, quantò difficilius eſt futura credere, quàm præterita, procul autem aſpexerunt promiſsiones non oculis corporeis, ſed perſpicaciſsimo fidei oculo, qui in Spiritu etiam cernit ea, quæ non apparent. Duplices erant promiſsiones factæ patribus, terrenæ & cœleſtes. Terrenas non ſunt cõſecuti in propriis perſonis, ſed in hæredibus & poſteritate, cœleſtes verò ſunt conſecuti. Sic fide & de futuris benedixit Iſaac, Iacob, Eſau &c. pij benedixerunt filijs, quæ benedictio paterna ſimul fuit prophetica prædictio, & eventus in poſteris exactiſsimè reſpondit. Moiſes reliquit aulam Pharaonis, ſed fides ipſius aſpexit opes cœleſtes.

III. Inviſibilia.

Hebr. 11. fides eſt ἔλεγχος οὐ βλεπομένων credit non viſa. Iohan. 20. Beati qui non vident & credunt. Ioh. 11. Si credideris videbis gloriam Dei. Sunt autem inviſibilia bona non externis ſenſibus, non humanæ rationi ſubiecta, ſed ſoli fidei ſunt obvia.

Ergo obiectum fidei non ſemper eſt res oculis ſubiecta, ſed ſæpè res non apparens. Sic Abraham egreditur è patria, etſi ignoraret, quô venturus eſſet. Sic fide intelligimus ſecula cõdita eſſe, fide intelligimus reſurrectionem mortuorum & vitam

æternam

æternam, licet oculus non videat, fide ſcimus Chriſto homini omnia tradita, etſi nondum videamus, fide credimus corpus & ſanguinem Chriſti nobis in cæna communicari. Hæc autem eſt fides generalis, quâ credimus verbo Dei. Illa autem fides non opponitur orali manducationi, ſed perceptioni humanæ rationis. Sic ſæpè extat in ſyngrammate Suevico. Aliud autem eſt in cœna fide intelligere, quo adeſſe corpus Chriſti creditur, aliud eſt fide percipere corpus Chriſti. Calviniſtis fide intelligere eſt fide percipere. Sic vocabulum Spiritualiter non de intelligentia fidei, ſed de appræhenſione beneficiorum Chriſti, quæ fit fide, accipiunt, quod eſt falſiſsimum. Differunt enim hæ phraſes. Fide intelligere nihil aliud eſt, quàm credere verbo inſtitutionis: Fide percipere eſt fide appræhendere corpus Chriſti tanquam inſtrumento. Ergo errant Calviniſtæ, qui comminiſcuntur fidem Thomiſticam, oculatam & palpabilem, qualem Thomas habebat, niſi videro non credam. Verè eſt Themiſtica fides (ne quid dicam gravius) qua Chriſtum ipſis præſentem eſſe non credunt, niſi viderint in manibus eiꝰ veſtigia clavorũ, & miſerint digitos ſuos in veſtigia clavorum, & manus in latus eius. Vno verbo dicam, oculatam & manibus palpandam fidem profitentur, tantùm credentes animo, quantùm oculis vident & manibus palpant, cùm tamen Apoſtolus ad Hebræos fidem definiat ὑπόσασιν non quidem rerum abſentium, ſed τῶν μὴ βλεπομένων, id eſt, rerum non apparentium, & in ſenſus non incurrentium. Beati autem qui credunt & non vident.

Obiecta ſecundum circumſtantias temporum.

Alia ſunt præterita, alia præſentia, alia futura.

De obiecto fidei errant Papiſtæ & Calviniſtæ.

Cum Papiſtis controvertitur de obiecto fidei dupliciter.

I. Quod ſit proprium obiectum fidei. II. Quomodo & qua ratione fides circa illud obiectum verſetur & iuſtificet, de hac agitur in cauſſa formali. De prima quæſtione diſputant Papiſtæ, obiectum fidei iuſtificantis nõ eſſe promiſsionem Evangelij

de Christo, sed versari in omnibus illis, quæ à Deo Ecclesiæ in verbo revelata sunt. Et in genere hæc vera sunt, ideo particula illa in usitatis definitionibus additur, fides est assentiri omni verbo Dei, sed quando quæritur, quod sit illud obiectum, quod fides respiciat, appræhendat, & cui innitatur, ut iustificationem accipiat? Hîc disertè docet Paulus, proprium obiectum fidei iustificantis, in quo quærere debent remissionem peccatorum, non esse doctrinam de bonis operibus. Paulus enim id negat in Epistola ad Romanos & Galatas. Quòd vero sit proprium obiectum fidei iustificantis, perspicuè Paulus explicat Rom. 4. 10. Gal. 3. Phil. 3. & in multis locis Evangelij extat: Qui credit in me, habet vitam æternam. Num igitur reliquæ capita doctrinæ nullum habent usum in conversione hominis? Habent omninò, sed suo loco.

Nunc verò quæstio est, quod sit proprium obiectum fidei, cuius appræhensione iustificet. Ideo autem Iesuuitæ doctrinam de fide iustificante involvunt istis generalitatibus, ut scilicet Pauli doctrinam paulatim convellant. Quando enim Paulus ait: Fides iustificat, Iesuuitæ opponunt, fides non iustificat, & ratio est, quia fides credit omni verbo Dei, & qui seriò credit, verum esse illud, quòd scriptum est, maledictus omnis, & profectò hoc ipso non iustificatur ille, quia fides appræhendit & hoc verbum Dei. Si vis vitam ingredi, serva mandata. Ergo fides iustificat, non quatenus Christum appræhendit, sed quatenus est genetrix bonorum operum.

II. Calvinistæ etiam de obiecto fidei errant. Nam Danæus expressè docet, ne unitam quidem carnem Christi λόγῳ esse obiectum nostræ adorationis, idq; probare conatur 9. argumentis in examine Chemn. fol. 416. Hæc sententia est blasphema. Nam licet humanitas Christi non sit proprium obiectum adorationis, sicut est divina natura, tamen est obiectum ratione unionis Phil. 2. ἐχαρίσατο.

Subiectum.

De subiecto duo sunt observanda. 1. Domicilia fidei. 2. Quo respectu fides detur hominibus.

I. Subiectum fidei est triplex, triplici fidei genere distin-

ctum

ctum. 1. Mens scilicet sedes noticiæ & assensus. 2. Voluntas. 3. Cor hominis secundum physicos, quas animæ potentias sacra scriptura unius cordis appellatione complectitur.

II. Quibus detur, quibus non detur.

Fides non datur qualitatis nostræ, neque meriti, neq; dignitatis respectu cuipiam. Etenim si sic daretur, daretur potioribus & negaretur humilioribus, atque ita potentes in hoc seculo fideles; abiecti verò infideles invenirẽtur. Verùm cùm diversum deprehendatur, id quod & Apostolus 1. Cor. 1. & Christus ipse Matth. 11. testantur, manifestum est, non dari fidem à Deo, secundum acceptionem personarum, qualitatum & dignitatum humanarum. Nec datur propter iusticiæ nostræ merita, aliàs iustis & pijs tantùm daretur, peccatoribus vero & impijs negaretur, cum tamen Christus non propter iustos, sed propter peccatores venerit, & impios & peccatores iustificet Rom. 4.

Non autem particeps fidei homo evadere potest, quicquid agat, aut quomodocunq; sese gerat. Nam mediatè Deus operatur fidem, idq; dupliciter. 1. Per verbum & Sacramenta. 2. Ex nostra parte tanquam correlatum est auscultatio & meditatio verbi.

Auditus verbi autem non est caussa efficiens, sed instrumentalis fidei. Quòd ergo non omnibus, sed quibusdam tantùm confertur fides, non fit nolente Deo, sed nolentibus ipsis hominibus. Culpa enim in ipsis residet, qui vel non audiunt, vel audiunt non eo modo, quo debebant. Deus vult omnibus dare fidem & ad agnitionem veritatis, quæ nihil aliud est quàm fides, pervenire, & quidem mediatè per organum verbi prædicati & auditi. Deinde quia mediatè illam vult operari, ideò talia media hominibus proposuit, ut possent omnes usurpatione eorundem non ex sese, sed per operationem Spiritus sancti fidem consequi. Nam gentile licet ductu legis naturæ pervenire ad veram Dei agnitionem ex humanis viribus non potuerint: tamen potuerunt & debuerunt pro modulo noticiæ Deum colere, & inde excitari ad quærendum cultum eius verum, præsertim cum is in mundo veluti excelsissimo loco fuerit cõstitutus. Et si ita verbum Dei audivissent, quod potuissent & debuissent, Deus eos non deseruisset, sed lumine gratiæ suæ donâsset.

Præterea

Præterea ſcriptura dicit media repellentes ſibiipſis cauſſam eſſe damnationis Matth. 23. Quoties volui & noluiſti. Act. 13. Repellitis verbum Dei, & facitis vos indignos vita æterna. Act. 7. Semper reſiſtitis Spiritui ſancto. Matth. 11. Cecinimus vobis & non ſaltaſtis. Quapropter verbo Dei potuiſſent uti utiliter ad fidem conſequendam. Nam requiſivit Deus auditum, ſed ipſi neglecto hoc medio ſeipſos fide defraudârunt.

Tertiò incredulitatis nomine accuſantur omnes homines Marc. 6. Admiratur Chriſtus ἀπιστίαν ſuorum civium, & carpit eam. Matth. 11. Exprobrat civitatibus Chorazin, Bethſaida, Capernaum, propterea quòd non egiſſent pœnitentiam, cùm tamen plurima eius miracula vidiſſent, & conciones audiviſſent. Ergo cauſſa in hominibus hæret, cur non habeant fidem, ſi enim voluiſſent, quod velle poterant, utiq; potuiſſent pervenire ad fidem, nempe inſiſtendo medijs, idq; ſanè in facultate hominum eſt poſitum.

Quartò Deus exiget rationem fidei ab homine in extremo die. Ergo homo habet liberum arbitrium in medijs externis uſurpandis, ita ut uſurpatione mediorum poſsit conſequi fidem, aliàs Deus non poſſet exigere rationem fidei ab homine etiam reprobo & damnando.

Tertiò agitatur quæſtio: Si non eſt abſolutum decretum, nec Synergiſmus, qui fit quòd non omnes ſalvantur: reſpondetur, quia non omnes credunt. Inſtant Calviniſtæ, quia non datum eſt omnibus, aſſentimur hactenus. Longiùs procedunt quærendo, cur non eſt datum omnibus? Hic ſubijciunt, quia noluit Deus, & quidem abſoluto decreto, & hæc eſt impia reſponſio. Ex altera parte orthodoxi ſimpliciter reſpondent ad illam quæſtionem, cur fides non omnibus detur, eſſe nobis ἄγνωστον, & cum Paulo exclamant: O altitudo. At Chriſtus nobis ſuo exemplo præit, & docet in parabola, fieri id non nolente Deo, ſe nolentibus ipſis hominibus. Ergo culpa reſidet in hominibus ipſis, qui vel non audiunt, vel non audiunt eo modo, quo debebant. Hiſce non largitur Deus fidem, ſiquidem nec defectus nec contemptus verbi eſt imputandus Deo, ſed hominibus.

De

De defectu verbi.

Defectum organorum fidei non in Deum, nec in Christum, nec in ministerium, nec in absolutum decretum, sed in ipsos homines reijcit scriptura, & duplici ratione gentiles esse inexcusabiles, licet verbo destituti, demonstrat, scilicet ratione naturalis & carnalis cognitionis Dei, & ratione Spiritualis cognitionis Dei. De carnali & naturali loquitur Paulus ad Rom. 1. 2. quæ nititur naturæ lumine, & demonstratione ex operibus Dei desumta. Vt enim natura magistra omnes sani homines intelligunt Deum esse: Ita opera Dei, & unum esse Deum, & eundem æternum, omnipotentem, sapientem &c. testantur. Sic Paulus testatur, creaturam Dei esse veluti scholam quandam universalem, in qua in Dei noticia erudimur. Est enim tota creatura non solùm testimonium de Deo, quòd sit: verùm etiam speculum quoddam, in quo se quodammodo contemplandum nobis proponit. Sic Paulus Act. 14. dicit, Dominum reliquisse gentes in ignorantia, neque tamen reliquisse ἀμάρτυρον, id est, citra testimonium. De salutari & spirituali noticia extat. Gal. 4.

Sic igitur primò requisivit Deus ab ipsis, ut ipsum ex noticia ingenita, & ex contemplatione mundi agnitum colerent, (Hæc enim duo docet Paulus de gentibus, quod sciverint 1. esse Deum, 2. illum esse colendum) atqui vani facti sunt in suis ratiocinationibus.

Ergo sunt inexcusabiles. Rom. 1.

II. Aliud etiam quoddam requisivit, scilicet, ut non solùm pro ea noticia, quam eis largitus, erat, grati essent, & ea benè uterentur: Sed etiam voluit, ut inde excitati quærerent eius verum cultũ, in politia Israelitica institutum, quem in quatuor monarchijs illustrem reddiderat, ut omnibus populis & universo mũdo innotesceret, verum Dei cultum in hoc populo, qui in meditullio orbis terrarũ habitabat, cõversari, à quo veram Dei agnitionẽ omnibus populis & gẽtibus petere licuisset, id quod etiam omnib. temporibus aliquot proselyti ex gẽtibus fecerũt.

Hinc Paulus 1. Cor. 1. dicit: Postquam in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis salvare credentes, hoc est, postquam in hac mundi fabrica, quæ est veluti speculum quoddam sapien-

tiæ Dei non cognoverunt homines per lumen rationis & demonstrationes Deum, ut par erat, motus fuit Deus ut doctrinam Evangelij patefaceret.

Argumenta primi requisiti sunt.

1.

Quicunq; sunt rei impietatis & iniustitiæ, illi sunt inexcusabiles, & per consequens damnabiles. Ethnici sunt tales. Minorem probat Paulus sic: Ii veritatem in iniustitia detinēt, qui scientes peccant. Nam veritatem in iniustitia detinere significat contra legis normam, & conscientiæ ei subscribentis testimonium cogitatione identidem hominem accusante, peccare. Atqui gentes veritatem in iniustitia detinuerunt. Ergò scienter seu contrá conscientiam peccaverunt.

2.

Ethnicis τὸ γνωστὸν θεοῦ manifestum erat, & quidem duplex ἔμφυτον & ἐπίκτητον naturale & acquisitum, ita ut licet verbis quis occultet, quòd sit Deus, non possit tamen non prodere, & esse, & colendum esse Deum. Valet consequencia: Quia notitiæ naturalis duplex finis est, proprius & accidentarius. Proprius rursus est bipartitus, videlicet, Dei notitia & Dei cultus. Accidentarius, qui accedit culpa hominum, nimirum, ut sint inexcusabiles, ut, impietas est Deum agnitum non colere, qui nihil prætendere possint, quin iure sint damnabiles, quotquot Deum non agnoscunt, vel agnitum non glorificant veris cultibus.

3.

Impietatis est Deum agnitum non colere.

Ethnici cognoscentes Deum, non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. Item non probaverunt, ut Deum agnoscerent. Ergo &c.

Minorem Paulus astruit duobus argumentis, quorum alterum ab Idolomania, alterum à scelerata vita ducitur.

4.

Αὐτοκατάκρισις est adiudicatio seu propria conscientiæ & inviti confessio interna, quòd multa studiosè perpetret, quæ posset omittere, & multa omittat, quæ facere posset.

Atqui Paulus evincit gentiles ἀυτοκατακρίτους. Dicit enim quod

quòd δικαίωμα θεοῦ nôrint (quod partim est θετικὸν, ut honestè vivere, neminem lædere, ius suum cuiq; tribuere; partim ἀντιθετικὸν secus facientes odio & morte dignos esse) non solùm patrarint scelera, sed & in ijs consenserint. Ergo præcipua caussa damnationis gentium non erat ignoratio, sed violatio legis. Probat enim Paulus, quod legem habuerint ex eo, quòd opus legis inscriptum sit in cordibus eorum, sicut manifestum sit inde, quòd φύσει faciant τὰ τοῦ νόμου, & sibijpsis sint lex, id est, per se videant, quæ facienda sint, & quæ fugienda.

5.

Omnes gentiles sentiunt in se naturaliter conscientiæ testimonia, seu κατηγορίαν & ἀπολογίαν, id est, conscientia testatur, utrum rectè vel perperam agat, quod ex affectionibus sequentibus depræhendi potest, nam honestè facta naturaliter animi tranquillitas, turpia dolor sequitur. Hinc Paulus emphaticè vocat conscientiam συμμαρτυροῦσαν.

6.

Non leves & contemnendas esse rationes, quibus in conscientijs actiones hominum vel accusantur, vel defenduntur, clarè ostendit Paulus, significans easdem etiam in die extremo valituras esse. Etsi enim falsa est virtus etiam in optimis moribus infidelium. Tamen testimonium in ijs, qui honestè vixerũt etiam in extremo die ad defensionem externarũ actionum virtutis valebit, etsi propter ἀπιστίαν persona erit rea. Scipionis igitur conscientia, quòd ad externum abstinentiæ opus ipsum excusabit, quæ apologia erit à tanto, non à toto, in eo enim ἀνεπολόγητος erit, quòd huic virtuti non præluxerit fides. Rursus Tarquinius per propriam conscientiam redarguetur & damnabitur propter oppressam Lucretiam, cùm & lex naturæ & leges civiles talia facta prohibeant. Inexcusabilis.

7.

Incredulitatis nomine accusabuntur gentes.
Ergò caussa mali ipsius hæret in ipsis.

Argumenta secundi requisiti.

Vſus naturalis noticiæ apud gentiles duplex eſt: Proprius unus, alter acceſſorius ſeu accidentarius. Proprius eſt bipartitus. 1. Eſt regere τὸ ἐπιθυμητικὸν ne prorſus obtruteſcat homo, & ut iuſticia civilis conſervetur. 2. Eſt δοξολογία & εὐχαριστία & ἐκζήτησις τοῦ θεοῦ, id eſt, glorificatio & gratiarum actio, cultus & ſcrutatio Dei. Rom. 1. Qui cùm Deum cognoverint tamen non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. Glorificare Deum eſt tribuere ei gloriam, id eſt, agnoſcere & fateri, quòd verè ſit Deus & qualis ſit, ſcilicet, ſapiens, verax, bonus, iuſtus, omnipotens, caſtus, conditor mundi, non ocioſus vindex ſcelerum &c. Gratias agere eſt pars glorificationis, ſcilicet agnoſcere, quod Deus non ſit ocioſus, ſed verè nos curet, & hanc Dei bonitatem celebrare.

Deinde glorificatur Deus per verbum ſuum, quod uſq; ad Meſsiæ tempora in poſteritate Abrahæ conſervabat. Etſi autem id gentibus ignotum eſſet, tamen Deus noticiam ſui ipſis naturalem largitus eſt, pro qua grati eſſe debebant, eaq; benè uti, atque inde excitari. Hanc ſecundam cauſſam exponit Paulus Act. 17. fecit ex uno ſanguine omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ, definiens ſtatuta, tempora & terminos habitationis eorũ quærere Deum, ſi ſortè attrectẽt eum, aut inveniant, quamvis non longè ſit ab unoquoque noſtrum, in ipſo enim vivimus & movemur & ſumus. In Græco extat ζητεῖν τὸν κύριον, quod in conſtructione cauſſali poſitum eſt per ellipſin τοῦ ἕνεκα. Ideò nimirum manifeſtata eſt hæc noticia, ut quæratur Deus, Quæratur autem hoc modo, Ara poſita Athenis cum inſcriptione (ignoto Deo) ſatis indicat, etiam ſapientiſsimos fateri, ſe in tanta multitudine ſacrificiorum tamen ignorare veros cultus, qui Deo placeant. Quod ergò vos ignoratis, ego annuncio vobis ait Paulus Act. 17. Item. Act. 14. Deum ſemetipſum non reliquiſſe ἀμάρτυρον: Tamen in ipſa noticia naturali dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas, & tempora huius ignorantiæ diſsimulans, Deus nunc annunciat hominibus. Act. 17. Eſt ergò hæc ſumma: Cùm omnes naturaliter agnoſcant eſſe Deum, & illum eſſe glorificandum ut Deum, & ſimul cogãtur fateri ſe ignorare, quomodo ſit colendus: Deum inſeruiſſe ipſis hanc noticiam, ut quærant annunciationem revelationis

lationis divinæ in Ecclesia, quam Deus ob id semper in illustri aliquo regno aut Monarchia constitutam adeò conspicuam in toto terrarum orbe reddidit, ut omnes gentes verbi cælestis lumen non sub modio occultatum, sed in candelabro positum palàm intueri possent.

Accidentarius usus est ἀναπολογία, hic usus accedit hominum culpa, nimirum ut sint inexcusabiles, quia nihil prætendere possunt, quin iure sint damnabiles, quotquot Deum non cognoscunt, vel agnitum non glorificant, vel ad verbum revelatum non recurrunt. Quia igitur gentes ad illud verbum non recurrerunt, sed illud in populo Israel, quem tanquam barbarum contemnebant, quærere erubuerunt Ideoq; φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν καὶ ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς, id est, quo διαλεκτικώτεροι, eò etiam μωρότεροι ac demum μωρότατοι facti. Et hunc contemptum huius beneficij horribiliter in ijs vindicavit Deus, quòd tradidit illos in desideria cordis. Ideoq; sunt inexcusabiles.

2.

Ne verò quis iustam caussam ignorantiæ veri cultus Dei prætexere, & ita gentes excusare posset, occasiones, quas habuerunt, obsistunt.

I. Evidentia testimoniorum patefactionis divinæ in Ecclesia eos invitare poterat ad veram Dei agnitionem.

II. Situs terræ Canaan, quæ fuit sedes Ecclesiæ ceu Academia in medio mundi.

III. Dissipatio populi Iudaici in toto terrarum orbe.

IV. Translatio bibliorum in linguam Græcam, quæ omnibus gentibus nota erat.

V. Vocatio universalis, quæ ita dicitur. 1. ratione trinæ promulgationis verbi. 1. tempore antediluviano. 2. tempore post diluvium. 3. tempore Apostolorum. Et sic vocatio universalis est ter facta.

2. Vniversalis est respectu voluntatis Dei antecedentis, quatenus Deus annunciari mandat Evangelium suum omni creaturæ, vult id audiri, vult converti omnes. Non igitur universalem eo sensu profitemur, quasi semper & ubiq; vox prædicationis Evangelicæ omnium populorum aures percellat, sed

a quoad Deum volentem, mandantem, universalem vocationem docemus, quæ particularis redditur per accidens, scilicet vitio hominum, idq; dupliciter. 1. propter ingratitudinem & oscitantiam maiorum amissum verbum non ubiq; prædicatur actu, quod tamen ubiq, Deus prædicari vult. 2. propter contemtum verbi in ijs locis, ubi prædicatur verbum.

Ps. 19. Cauam amussis. Roman. 10. φθόγγος sonus ῥήματα verba.

III. Ad vocationem universalem nõ requiritur, ut præcones Evangelij præsentes ipsi sint, aut vicos & compita singula peragrent, sed sonũ doctrinæ emanare, & ad fines mundi penetrare sufficit, quem sonum qui non hauserit, ignorantiæ suæ excusandæ nihil prætexere poterit. Hinc cum potuisset quis obijcere Paulo Rom. 10.

Duæ propositiones sunt pensitandæ.

a Atqui nõ audiverunt verbum, respondet caussam infidelitatis illorũ hãc nõ esse, sed quod audierint probat b Ps. 19. Sonum vocem, prædicationem Apostolorum in omnem terram dimanasse, ut nullus sit locus, ubi loquela eorum nõ audita fuerit. Etsi igitur non in omnibus villis & pagis prædicârunt Apostoli; tamen è præcipuis regnis, in quibus prædicatio facta & audita est, ad omnia loca, & omnes nationes pervenire fama & sonus prædicationis Evangelij potuit, & adhuc potest, ita ut qui non excitantur ad cognoscendũ Evangelium, nec credunt, ij excusationem ignorantiæ habere non possint, sed sua ipsorum culpa pereant. Errant igitur Calvinistæ, qui blaterant, vocationem non esse universalem, ex eo patere, quoniam multi sint, qui nunquam verbum audiverunt, quibus etiam nunquam fuit prædicatum. Hoc est Deo præscribere modum, cùm tamen sonum quovis penetrasse sufficiat. c Hoc quidem verum est, quando de vocatis loquimur, propriè loquendo non posse dici, omnes homines esse actu vocatos, quia gentibus in veteri Testamento remotissimis à Iudæa, non fuit annunciatum verbum Dei Ps. 147. Es. 52. Rom. 10. 15. sed tamen manet vocatio universalis, etsi non ubiq; actu doceatur Evangelium, quia defectus & contemtus verbi, quo fit vocatio, nihil derogant universali vocationi, siquidem ille defectus & contemtus verbi non Deo, sed vel maiorum ingratitudini, vel propriæ malitiæ posterorum imputari debet. Etsi igitur vocatio est universalis, tamen quia gratiam vocationis non acceptarunt, ideo horum vicio apud omnes

I. Omnibus tẽporibus magna pars generis humani non est vocata.

II. Nõ omnes quovis tẽpore sunt vocati homines.

Prior propositio falsa est, quia vocatio trina tum ex parte Dei, tum ex parte hominum Universalis est.

Altera propositio vera est attestãte Christo qui dicit: Multos esse vocatos, non autem omnes. Nam licet ter sit to-

omnes non personat vox Evangelij, ob hanc caussam nõ omnes simpliciter dicuntur vocati, sed multi vocati teste Christo, quibus Evangelium est annunciatum. Fuerunt igitur cultus Idolorum apud Ethnicos affectata ignorantia, quia volentes amiserunt & abiecerunt doctrinam, & non quærebant eam rursus in Ecclesia, & receperunt furores manifestè pugnantes cum notitia naturali, & apud ipsos erant Bachanalia & alia turpia sacra. Sic Paulus Eph. 4. explicat, quomodo sit intelligendum illud Rom. 1. ubi legitur, quòd Deus tradiderit gentes per cupiditates cordium in immundiciem. Dicit enim qui posteaquam pervenerunt eò, ut ἀπηλγηκότες fuerint, semetipsos dediderunt lasciviæ, id est ultrò ruerunt ad voluptates.

tus mundus vocatus: non tamen quovis tempore omnes sunt vocati, non culpa Dei sed hominum.

Qui de dolucerunt, vel omnino dolunt qui ego divitiæ pervenit, ut dolorem divitiæ sengum obsurdverit. A verbo ἀπαλγέω

Sed hic responsat ratio, Culpa hæret apud maiores, quid verò meriti sunt posteri? Siccine agitur cum miseris mortalibus verbo Dei destitutis? Siccine cum infantibus eorum & reliquis, qui nondum discretionis attigerunt annos?

Respondeo.

Hoc malum acceptum ferant non Deo, sed suis impijs maioribus, qui se & posteritatem suam perdiderunt. Si quis facultates suas prodegerit, & se suosq; hæredes ad paupertatem redegerit, non habent illi hæredes ius, ut Magistratum ad restitutionem dissipatorum bonorum adigant, quæ ipsorum parentes petulanter & quidem satis fideliter & severè admoniti decoxerunt: Et tu homuncio cœli & terræ Dominum in ius duces, propterea quòd non violenter prohibuerit, ne gentium maiores bona spiritualia, quæ olim habebant, abijcerent? Qui crimen læsæ maiestatis committunt, vitam & facultates omnes de iure amittunt, neque Magistratus læsus facultates in fiscum redactas, hæredibus restituere tenetur, tametsi præter suam culpam videantur ad summam paupertatem redacti: Et Rex Regum ac Dominus Dominantium non haberet iustam potestatem regnum Dei ab illis auferendi, qui multis modis per summam ingratitudinem, cœlestem & divinam Maiestatem lędunt? præsertim quando eorum posteri ablata divina & cœlestia beneficia neque precibus humilibus à Deo repetunt, neque ulla ratione quærunt.

Quot

Quot putas hodie etiam vivere hominum millia, ne dicam myriades, qui si tantum operæ ponerent in inquirenda vera salutis æternæ via, quantum studij impendunt, ut per fas & nefas corradant opes caducas, ut ad dignitates terrenas conscendāt, ut ingenij, vel etiam audaciæ laudem & gloriolam apud stultos mortales inveniant, & post se relinquant, ut animum vindictæ studio flagrantem exatient, ut fœdis libidinibus impuro suo cordi & carni lascivæ ac prurienti merem gerant: Si, inquam, tantum laboris in veritate indaganda insumerent, haud dubiè ad portum æternæ felicitatis feliciter pertingerent, qui tamen per carnales cupiditates sua propria culpa in æternum exitium demerguntur, nec digni sunt, quibus lux veritatis affulgeat, ut interim nihil de illis dicam, qui cum veritatem investigare possent, sponte oculos claudunt, & affectata ignorantia in religionis tenebris versari, quàm de opum, honorum & voluptatum possessione periclitari malunt, quorum damnatio iusta est.

Quodq; de infantibus infidelium affertur, nostrûm non est definire. Quales enim illi futuri erant, ad adultam ætatem progressi, hominis inquisitionem fugit. Nec tamen interim ad Calvinisticum reprobationis absolutum decretum protinus est confugiendum. Puniri enim eos certum est, iusto iudicio Dei, sed tamen non absoluto, & voluntati revelatæ contrario.

Inæqualitas & disparitas non in naturali aliqua facultate applicādi se ad gratiam, ponēda est, sed in obstaculis externis.

De contemtu verbi.

Contemtus quidem verbi nobis est ingenitus & naturalis, sed præterea scriptura nominat actualem contemtum, & hac ratione triplicem disparitatem in non renatis recenset, quæ fidem, ne conferatur, impedit.

I. In repugnantia actuali.
II. In facilitate conversionis.
III. In studio audiendi.

De Repugnantia & contemtu actuali.

Interior & naturalis est repugnantia, qua homo naturaliter res Dei pro stulticia habet, hunc vult Spiritus sanctus adimere per verbum auditum, lectum & cogitatum, sicut repugnantiam

tiam depravatæ naturæ in Nicodemo Christus suo verbo & operatione efficaci ex corde eius eximit, & Mariæ repugnantia vincitur angeli concione & Dei operatione.

Repugnantia actualis est, qua aliqui ex proposito seu προαιρετικῶς media salutis aspernantur & execrantur. Hanc προαιρετικὴν contumaciam, quæ superaccedit ad naturalem repugnantiam caussam interitus Iudæorum asignat scriptura. Rom. 11. Tota die expando manus meas ad populum non credentem & contradicentem. Item per incredulitatem effracti sunt, ubi intelligit illam repugnantiam non ingenitam & vulgarem incredulitatem, sed actualem, enormem & monstrosam, qua Deo vocanti rebellarunt, obstinato studio contradixerunt prophetis, Christo & Evangelio eius, & de hac etiam loquuntur dicta Matth. 23. Act. 13. 19.

De facilitate conversionis.

Cæcitas seu contemtus originalis par & æqualis est in omnibus hominibus, at actualis, qui ex originali existit in omnibus hominibus longè diversus est. Nam Herodes libenter audiebat Iohannem. Sergius desideravit audire verbum Domini. Act. 13. alijs interim confestim resistentibus, ex quo apparet, ratione actualis cæcitatis & contemtus posse aliquos non renatorum difficiliùs converti, quàm alios. Hinc: Marc. 7. ait Christus ad legisperitum, non procul abes â regno Dei.

Ergo propior erat regno Dei, quàm Pharisæi, qui simpliciter Christi verba damnabãt, & faciliùs poterat converti, quàm pharisæi, qui varijs impedimentis retrahebantur. Item Publicani & meretrices faciliùs possunt cõverti quàm Pharisæi, divites difficiliùs, quàm pauperes Luc. 7. Plebecula faciliùs converti poterat quàm Pharisæi, qui præfractè aspernabantur consilium Dei adversus semetipsos. Laici in papatu faciliùs possunt converti, quàm indurati Iesuuitæ. Hæc omnia ostendunt, etiam in non renatis esse rationem diversitatis, quæ in obstaculis quærenda est, ubi quidam plura habent impedimenta salutis, & quidam pauciora, quæ scriptura vult, ut removeantur, caveantur & abijciantur. Sic igitur vox facilitatis non significat quandam naturalem facultatem convertendi se aut cooperandi in

conversione, sed docet ratione actualis contemtus apud non renatos aliquos pauciora, apud aliquos verò plura impedimenta Spiritui sancto, quò minùs sit efficax, obijci. Sic Christus Matth. 11. palàm asserit: Etsi Sodomitæ fuerint sceleribus execrandis supra modum infames: ideoq; cælitus igne & sulphure deleti: Tamen tantam & tàm præfractam Sodomitarum malitiam non fuisse, quin relicta sua impietate potuerint ad meliorem frugem corrigi, si tam stupenda fuissent ibi designata miracula, quanta vidit urbs Capernaum. Quia autem Capernaitæ beneficia Evangelij respuant, & impietate Sodomam multis parasangis post se relinquant, ideo intolerabilius illorum fore iudicium, edicit, quàm sit Sodomitarum. Nam punientur hi eò lenius, quòd nullis miraculis ita fuerint moniti, quemadmodum Capernaitæ.

De Studio audiendi.

Deus vult ut audiamus verbum. I. Sapienter. II. ardenter. III. frequenter. IV. perseveranter. Atq; aliqui audiunt non sapienter, aliqui nõ ardenter, vel non frequẽter, aut denique non perseveranter.

Christus in parabola culpam seminis perditi non in Deum, sed in terram seu homines, qui dispari planè studio audiunt, & Luc. 14. privatæ cœnæ tergiversatronem conijcit. Alij enim non discendi studio audiunt, sed negligenter & obiter, vel novitatis studio, alij cum præiudicio, alij sunt πρόσκαιροι. Tempestivi.

Alij autem attentè & discendi studio audiunt, sed interim pertinacia sua Spiritui sancto, & eius operationi resistunt, & ita opus Dei in seipsis dissolvunt. Sic Felix cùm audiret Paulum de iudicio extremo stimulum retinuit, & suffocat bonum initium: Item Anabaptistæ, qui discendi studio legunt, sed in sua pertinacia perseverant, de quibus dicit, semper discentes, & nũquam ad agnitionem veritatis pervenientes: Sic dives adolescens non procul est à regno Christi, sed vincitur avaritia.

In summa tanta est varietas, quæ in animis hominum latet, ut nos eius rationem reddere non possimus, quòd scilicet ad individua attinet, sed dicere necesse habeamus: ô altitudo, certi tamen non absolutè, nec sine caussa quicquam horum fieri & permitti.

De subiecto primò hallucinantur Papistæ, & vociferantur fidem esse monstrum & chimæram, si collocetur non in uno aliquo subiecto certo, sed in diversis simul, mente & voluntate scilicet,

ſcilicet, quæ quia ſubiectis differant, realiter differant. Sed non diſputabimus ſubtiliter, an & quo modo unius & eiuſdem animæ potentiæ, mens ſcilicet & voluntas ſubiectis differant. Scriptura enim ſimpliciter cordi tribuit & fiduciam & affectus, & ſimul etiam noticiam. Et lingua hebræa proprium & peculiare vocabulum mentis & cerebri non habet. Ergo contra illam obiectionem nos ſimplicitas ſcripturæ defenſat, quæ philoſophicas illas diſtinctiones non ſuperſtitiosè obſervat. Deinde quicquid ſit de ſubiectis, hoc certum eſt, motus mentis & voluntatis ſibi correſpondere, ut qualis eſt noticia & aſſenſio in mente, tales etiam motus plerunq; in voluntate ſequantur & reſpondeant.

Deinde errant de merito congrui & condigni &c.

II. Calviniſtæ multos errores de ſubiecto fidei proprio tutantur.

I. Materiam, in qua dicimus eſſe eos, quibus datum eſt credere in Deum illum, qui eſt in carne patefactus. Neque enim Deus in omnibus hominibus fidei lumen accendit, & perpetuò fovet alitq;, conſilio iudicioq; iuſto, nobis tamen non perſcrutando, &c. *Crymæus in Charactere Chriſtianorum fol. 31.*

Muſculus in locis com. 238. Cùm non omnibus ſed quibuſdam tantùm conferatur, patet donum illius à libera pendente divinæ voluntatis electione, ita ut quorum vult miſereatur Deus, & quos vult induret, ſicut Paulus Rom. 9. diſputat. Quare cenſemus dari fidem hanc ſolis electis. Hinc apoſtolus Tit. 1. fidem hanc fidē electorum Dei vocat, & Lucas Act 13. dicit: Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitā æternam &c.

Piſcator in 2. vol. Theſ. Theolog. 119. Fides dicitur accenſa in intellectu & corde electorum hominum. Non enim fides eſt omnium 2. Theſs. 3. Sed in intellectu & corde electorum tantùm creatur, quibus Deus & donat & auget fidem pro liberrima ſua voluntate & poteſtate, quando & quantum vult.

II. Electos fidem non poſſe amittere, licet in peccatis conſciētiam vaſtantibus vivant. Item electos non poſſe labi in peccata mortalia, ideoq; tollunt diſcrimen peccati mortalis & venialis.

III. Infantes fidem non habere. Piſcator 2. vol. pag. 120. Fides ea dicitur eſſe in intellectu hominū electorū adultorum.

Nam ſacra ſcriptura fidem illam infantibus rationis uſu deſtitutis nuſquam tribuit, teſte etiam experientia.

De primo.

Error eſt Calviniſtarum, quòd credentes cum electis eoſdem faciunt, cùm non ſint omninò convertibilia: Omnes electi credunt: Et omnes credentes ſunt electi. Quòd credentes cum electis ijdem non ſint, teſtimonio illud eſt, quòd à nonnullis ad tempus tantùm credi Chriſtus aſſerit. Luc. 8. qui ſuo vicio non ex occulta quadam voluntate Dei rurſus fidem excutiunt & προσκαιροὶ ſunt. Ergo falsò colligunt adverſarij, Fides eſt electorum. Ergo non datur quibusvis audientibus, ſed ſolis electis. Nam κατ' ἐξοχὴν dicitur electorum eſſe fides, quia hi non tantum incipiunt credere, ſed etiam in fide uſque ad finem perſeverant. Imo electi non ſunt ab æterno in abſoluto Dei decreto certæ & individuæ perſonæ & ſine omni determinatione ſelectæ, ſed perſonæ hominum fide in Chriſtum determinatæ. Verè igitur electi ſunt, qui in Chriſtum credunt, & in fide uſq; ad finem perſeverant, qui oves Chriſti ſunt & manent. Vult autem Deus omnibus dare fidem, non abſolutè tamen, ſed conditionaliter, ſi ſeriò auſcultaverint. Hîc graviſsima intercedit controverſia cum Calvinianis, quæ duobus capitibus comprehendi poteſt.

Electio non ſolum negocium ſalutis ſed etiã ſimul perſonas ſalvandorum complectitur. Atqui nõ reſpicit abſolutè perſonas has vel illas quomodocunq; ſe habeã, ſed πρώτως reſpicit ordinem, ἑπομένως perſonas, quatenus eæ ordinem ingrediuntur.

I.

Num homo non renatus verbum Dei ſeriò & cum ſtudio diſcendi remotis ſpinis & obſtaculis audire poſsit?

II.

Num Deus per auditum talem efficax eſſe, & per illum largiri fidem velit, ſi nimirum audimus ſtudio diſcendi remotis impedimentis?

Nos utrobiq; affirmativam, Calviniſtæ negativam defenſant.

I.

A teſtimonijs ſcripturæ.

Scriptura teſtatur homines non renatos habere ſtudium Dei:

Dei: Rom. 10. aliquod desiderium salutis Luc. 13. quærent intrare, & non poterunt. Amos attribuit ipsis famem audiendi verbi cap. 8. Et cadere etiam in infideles Zelum Dei testis est Paulus Rom. 9. Testor de ipsis, quod Zelum Dei habeant, sed addito προσδιορισμῷ, eum scilicet, qui non sit κατ' ἐπίγνωσιν: Certè sic vocat studium iustitiæ atque ardentem affectum circa religionem, quo flagrarunt Iudæi.

II. Ab exemplis.

Herodes ἡδέως libenter audiebat Iohannem. Act. 13. Sergius ἐπεζήτησε desideravit audire sermonem Dei â Paulo & Barnaba. Agrippa Act. 26. audit studio cognoscendi adducens: Modicum ex parte mihi persuades, ut fiam Christianus. Rom. 11 scribit de Iudæis infidelibus: ὃ ἐπιζητεῖ Ἰσραήλ, non adeptus est, ἐπιζητεῖν significat diligenter, serio inquirere. Ergo habuerunt studium discendi, licet carnale. Exempla sectariorum testantur, qui studio discendi legunt. 2. Tim. 3. Semper discentes, & tamen ad agnitionem veritatis nunquam pervenientes.

III.

Concordia in Loco de Libero arbitrio & prædestinatione concedit non renatis externam pædagogiam ministerij, ita docens, quomodo non renati ad conversionem pervenire possint, expressè ponit hanc hypothesin, & determinationem: Si diligenter & seriò auscultaverint homines verbum Dei.

IV. Ab Absurdis.

Si nullum est studium discendi externum, sequitur etiam converti eos, qui non audiunt, vel verbum contemnunt &c. Sed hoc est falsum. Nam scriptura testatur, non converti contemtores verbi, sed audientes & discentes. Rom. 10. Ioh. 6. Et experientia testatur, citius fructificare verbum in auditoribus, quàm in manifestis contemtoribus. Ergo falsum est etiam prius.

V.

Remotio interna obstaculorum in mente, voluntate, corde,

ā non renato quidem fieri nequit, remotio tamen obſtaculorum & ſpinarum externa & quidem peccatorum actualium exteriorum fieri poteſt & debet. Nam diſciplina externa eſt diligentia gubernandi externas actiones & coërcendi externa membra iuxta præcepta Decalogi, etſi motus interiores vel non adſint vel non conſentiant. Cùm igitur liberum arbitrium poſſit aliquo modo efficere externam diſciplinam. Ergo in ijs, quæ ad externam diſciplinam pertinent, ſic & in peccatis non renatorum concurrit contingentia & neceſsitas. Contingentia, quia aliquo modo poſſunt vel peccare, vel nō peccare, poſſunt vitare peccata pugnantia cum externa diſciplina, etſi nō ſit univerſaliter verum & ſemper, cùm etiam ſummi viri, qui conati ſunt honeſtè vivere, lapſus turpes habuerint.

Neceſsitas eſt duplex. 1 homo non poteſt non peccare, quia non poteſt interiorem pravitatem deponere. 2. Quia perſona nō eſt reconciliata fide. Ergo etiam in externis operibus diſciplinæ non poteſt non peccare. Conſtat igitur naturam non renatam poſſe aliquo modo vitare peccata, quæ pugnant cum diſciplina externa, licet non habeant libertatem tollendi interiorem pravitatem, id eſt, illa peccata, quæ nobiſcū naſcuntur. Deinde in non renatis aliquibus plura eſſe obſtacula & impedimenta, quæ fructificationem verbi impediunt, quàm in alijs, teſtatur Chriſtus docens legiſperitum regno Dei propiorem eſſe, quàm phariſæos cæteros Marc. 7. Meretrices præire phariſæis Matth. 21. Divites multò difficiliùs ingredi regnum Dei, quàm pauperes. Ratio diverſitatis certè eſt in obſtaculis externis.

Tertiò ſcriptura monet non renatos ut obſtacula illa removeant, id eſt peccatorum ſtudia, quorum pleraque etiam à non renatis caveri aut abſici poſsint, quę non ſubmota obſtant, quò minus Chriſtus apud illos ingrediatur. Sicut parabola Luc. 8. docet cauſſam in hominibus reſidere, cur verbum Dei non in omnibus fructificet, nec ex eo omnibus conferatur fides.

Sic enim ait Lucas: Quod autem inter ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt, & à ſolicitudinibus & divitijs & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur & non ferunt fructus Matth. 13. Qui ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt, qui verbum Dei audit, &

cura

cura seculi huius & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. Hic duo notanda. 1. Quid sint spinæ. 2. Quomodo verbum Dei evadat infrugiferum?

I. Spinis infrugiferis numerantur auctissimæ divitiæ huius seculi. Et per curam seculi huius intelligit Christus avaritiam scilicet diffidentem, plenamq; incredulitatis curam victus & amictus, studium cumulandarum opum, ex qua pestifera radice pullulant infestæ illæ spinæ, fraudes & imposturæ omnis generis, quibus ceu tendiculis inhiant alienis facultatibus, atque hæc est illa divitiarum fallacia, cuius meminit Christus. Apud Lucam Dominus annumerat spinis voluptates vitæ huius, sub quibus illecebræ notantur carnalium desideriorum & voluptatum, quæ sunt esca malorum, cuiusmodi sunt ebrietas, crapula, libidines, scortatio, ludi illiberales, superbia, aliaq; peccata omnia, quæ quadam voluptatis specie illiciunt hominum animos ad agendum contra Deum & proximum & contra propriam conscientiam. Ergo non solum in vipreto sedent divitijs inhiantes, sed etiam voluptatibus mundanis addicti.

Culpa cur non fructificet verbum, non tribuitur Deo seminanti, nec semini seu verbo, sed hominibus ipsis, qui inter nocentissima spineta degunt, & quorum cor non est terra bona, sed spinetum omnis generis vicijs & peccatis exundans. Nam expressè dicitur verbum fructum nullum afferre posse obstantibus nimirum vepribus & spinis, quibus. 1. suffocetur semen. 2. & sine fructu efficiatur. Spinæ suffocant verbum, in græco extat λόγος ἄκαρπος γίγνεται: vulgata versio habet, sine fructu efficitur. Erasmus, redditur infrugifer. Vnde? Non per Deum, sed per spinas. Vt igitur semen in se habet latentem quandam naturalem δύναμιν, facultatemque proferendi fructum sui generis: Ita verbum Dei adiunctam habet potentiam & virtutem Spiritus sancti operantem in hominibus sicut scriptum est Romanor. 1. Evangelium est δύναμις τοῦ θεοῦ.

Et

Et ita per se est efficax organon, à qua efficacia nullum hominem Deus absoluto decreto seclusit.

Quòd igitur non in omnibus fructificat, id totum hominibus imputat Christus, qui illud per accidens inefficax reddunt vepribus & Spinis, quibus sibi regnum cœlorum occludunt, & viam claudunt, ne per prædicatum verbum convertantur. Nam licet multi audiant, in audientibus tamen hæc, quæ Christus non obscurè notavit, differentia & disparitas reperitur. Ergo ab his perniciosissimis spinis caveamus nobis, ut sic corde his spinis vacuo accedamus ad audiendum verbum Dei, ut id nobis possit esse potentia Dei ad salutem.

De Secundo.

Quòd studium discendi carnale non semper est frugiferum, nec sequitur conversio, non attribuendum est Deo, qui neminem ab efficacia verbi absoluto decreto seclusit, sed hominibus, qui alijs modis operationem Spiritus sancti impediunt. Nam Deus vult efficax esse per auditum, si observetur modus, quem Deus servat.

1. Fidem non vult operari ἀμέσως & ἐνθουσιασικῶς, id est, immediatè & sine ministerio verbi.

2. Non dat fidem aliquibus absoluto seu fatali decreto, quod probant hæ rationes.

I. Nam ex uno eodemq; & æquali beneplacito Dei conditionaliter, omnibus destinata est hominibus. Hæc enim est ex æque omnibus conditio annexa, ut verbum audiant, eiq; attendant, hiq; participes fiunt fidei.

II. Deinde ordo divinitus sancitus absoluto decreto opponitur. Vbi enim sunt ordinaria media, prædicatio & auscultatio verbi, ibi non potest absolutum decretum de danda quibusdam, quibus libuerit, fide locum habere.

III. Si unis, qui verbum pari diligentia & discendi studio audiunt, fidem denegaret, alteris largiretur, Deus esset prosopolepta. At consequens est falsum. Ergo etiam antecedens.

IV. Sequitur ex fatali fide Epicuræus verbi & Sacramentorum contemptus & desperatio. Nam pari vel diligentia

in

in audiendo vel negligentia in contemnendo verbo præditis illis affectus credendi inspiratur, his verò subtrahitur. Errant igitur Calvinistæ & Semicingliani, quòd concedunt quidem nobiscum, fide applicari salutem & splendidè multa de fide loqui possunt. Sed cùm dicunt ex beneplacito Dei conferri fidem, intelligunt absolutum decretum, 2. Interdum conditionem concedunt, sed ipsam appendunt duntaxat denunciationi, non decreto & beneplacito Dei, & ita fidem conditionalem concedit Beza in denunciatione gratiæ. Etsi credendi conditio apposita est, tamen non pendet ab ea decretum, sed ipsa potiùs à decreto pendet.

V. Hæc conditio in denunciatione nihil aliud, nisi vexatio & Tyrannicus Sarcasmus est. Nam si Deus absolutè decrevit quibusdam conferre fidem, quibusdam non, certè denunciatio nihil aliud, quàm merum ludibrium habet, quæ multa quidem polliceatur, & homines alliciat, perinde ac si decrevisset Deus omnibus largiri fidem, cùm tamen in absoluto consilio aliter constituerit: Sic igitur fidem decreto subjiciat, ut fataliter credere necesse habeant, quibus fides illa decreta est absoluta voluntate. Hæc est fides fatalis dependens ex absoluto decreto. Nos conditionem non appendimus denunciationi tantùm, sed ipsi etiam decreto & consilio Dei, ubi Deus omnibus vult largiri fidem, sicut concordia loquitur, si verbum serio auscultaverint.

3. Concipitur fides ex verbo Dei non συνεργητικῶς seu συνεργείᾳ quacunq; virium humanarum aut liberi arbitrij, sed solum Spiritus sancti operatione, hinc vocatur donum Dei Phil. 1. & ἐνέργεια θεοῦ Coll. 2. & 1. Cor. 12. Deus conferre fidem per Spiritum sanctum dicitur.

4. Datur autem mediatè & ἀκουστικῶς per verbi auscultationem & meditationem. Nam correlativa sunt auditus verbi & fides, quia inde fides concipitur, alitur & augetur, sed non est physica caussarum connexio. Fides ex auditu est. Ergo omnes, qui audiunt, credunt. Nam cùm homines infidelitatis nomine accusantur, indicio est mali huius caussam propriam hærere in hominibus, qui si vellent, quòd velle poterant & debebant, utiq; ad fidem pervenire poterant. Contrariæ quidem

videntur esse sententiæ, fides est donum Dei, & in homine hæret caussa propria, quo minus credat. At Paulus utrunq; statuit, & fidem esse donum Dei, & defectum, cur non omnes credant, ascribit hominibus. Rom. 10. Sed non omnes obædiverunt Evangelio dicit Esaias. Domine quis credidit auditui nostro. Fides ergo ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Sic Apostolus respondet humanæ rationi, si quærat, quî fiat, quòd non omnes credant, quia non omnes obædiunt Evangelio. Vult itaq; fidem, non ex Dei operantis efficacia, sed ex hominis renati obædientia æstimari. At si amplius quæratur. Quare non omnes obædiant, cùm nemo ex suis viribus credere & obædire possit? Calvinistæ defectum hunc ascribunt voluntati & operationi divinæ, non credere multos Evangelio, quia Deus nolit, qui si vellet, omnibus posset largiri fidem, non tamen iniusto consilio. Nos cum Paulo defectum hunc ascribimus hominibus, cui succenturiatur Christus in parabola de diversitate auditorum, ubi apertè caussam ostendit in hominibus hærere, cur non omnibus detur fides. Fides quidem est merum Dei donum. At constituit eandem dare audientibus studiosè, remotis spinis ac obstaculis, id quod sanè est in facultate hominum positum. Ergo propria est culpa defectus hominis, cùm innata malitia, tùm actualis petulantia vel negligentis verbum vel opponentis se operationi Spiritus sancti, & sunt contra Calvinianos & Semicinglianos quatuor regulæ observandæ.

Deus nihil prætermisit quo minùs ad fidem perducerentur nõ tantùm gentiles sed etiam Iudæi.

I. Tale medium est homini à Deo propositum, quo ex ordinatione divina utiliter ad fidem consequendam uti queat. Nam sicut Deus vult verbum suum audiri, legi & cogitari: Ita externo ministerio verbi hominem uti posse ut audiat, legat & aliquo modo cogitet, & experientiæ & scripturæ exempla testantur, licet longè aliter audiant & meditentur, in quibus inchoata est renovatio.

Falsissimum igitur est, quando asseritur, quòd homini à Deo tale medium propositum sit, quo utiliter ad fidem consequendam uti nequeat.

II. Auditum requirit ordo ministerij externum, non naturalem

turalem tantùm, qui naturali actione constet, sed etiam talem, qui sit serius & cum meditatione aliqua coniunctus, & his qui taliter audiunt verbum Dei studio cognoscendi & discendi, obstaculis spinarum remotis, seu his, qui pædagogiam externam volendi & currendi seriò præstant, Deus pollicetur fidem, & vult conferre & confert. Nam is auditus externus, qui naturali sensu atque organo aurium corporeo percipitur, quiq; non est frigidus aut somnolentus, sed serius & cum studio & meditatione coniunctus, Isipsus est medium, quod ordinavit Deus, per quod vult operari fidem.

III. Quicunq; verbum Dei non audiunt, sed repudiant & aspernantur, aut serio auditui & meditationi verbi Spiritus sancti resistunt, operationi eius, quam per verbum vult exercere, repugnant, & veluti ferreum obicem ponunt, illi Spiritus sancti operationi aditum ad fidem intercludunt, & opus Dei in semetipsis dissolvunt.

IV. Etsi externa pædagogia & obædientia ministerij non meretur fidem, nihil enim nostro cursu, nostraq; auscultatione meremur: tamen isto externo medio uti Deo placuit ad conferendam fidem. Hinc à quibusdam non falsò dicitur: Quod homo non renatus possit præstare, & in sua facultate & viribus naturalibus habeat, id quo præstito Deus fidem certò largiturus sit.

Elumbes sunt obiectiones de merito congrui & dispositione papistica. Nam ille auditus externus non habet rationem caussæ efficientis, nec meritoriæ, sed instrumentalis tantùm. Non sequitur: Deus vult in audientibus & discentibus esse efficax. Ergo homo ipse sese ordinat & disponit ad audiendum verbum Dei, & ad illud fide amplectendùm. Deus enim est qui ordinat nos ad audiendum verbum, & ad auditum discentis incrementum dat & fidem accendit, noster auditus per se non posset præstare quicquam, si vel centum annos audias, nisi Deus auditui benedicat: Ergo longè absumus à Synergismo.

Quidam impugnant phrasin de studio discendi, & quòd

falsò describatur dicto Ioh. 6. Omnis qui audit à patre, & discit, dictitant.

Sed responsio plana est. Aliqui explicant hoc dictum de auditu externo, tali pacto pios ad notitiam Dei salvificam erudiri à Deo, non tamen sine medijs, sed audientes & discentes. Audire à patre dicitur, qui audit patrem testantem de filio, & ad eundem audiendum nos relegantem. Hunc audite. Et qui Christum in verbo audit, audit patrem: qui igitur audit hoc verbum patris, & non petulanter obsistit, seu potius diligenter & serio audit ut discat, is venit ad Christum. Nam licet ex proprijs viribus non discere possit, tamen si diligenter & serio auscultaverit, à Deo docebitur, illuminabitur, convertetur. Et sic aliud est ipsum discere, aliud studium discendi. Illud est Spirituale, & non renato in æternum non potest asscribi, hoc verò est carnale, & non renato rectè tribuitur. Hoc dictum explicat præcedens: Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum, nam ordinem tradit, quo velit Deus trahere ad filium. Collige hæc omnia: Eos pater trahit, qui audiunt à patre, qui discunt. Quod ergo non omnes trahuntur non culpa Dei fit, sed soli ἀπιστίᾳ hominum tribuitur, qui nolunt trahi verbo & Spiritu per sacrum ministerium, sed retrahenti Diabolo malunt, quàm Deo trahenti obtemperare.

II. Aliqui dictitant, hîc loqui Christum non de externo carnali auditu, sed interno Spirituali, ob quem omnes vocemur θεοδίδακτοι, id est, à Deo docti, & ita hoc loco Synergistarum cavillum elidunt colligentes: Omnis qui audit à patre & didicit venit ad me. Ergo proprijs viribus possumus audire, discere verbum, & venire ad Christum.

Respondeo. Rectè hîc Synergiam retundimus, & Christum etiam de interno auditu verba facere consentimus. Non tamen prior sententia de externo auditu serio discrepat ab analogia fidei. Nam internus auditus præsupponit externum, siquidem internus à Deo per externum in nobis exuscitatur, Et verba hæc: Qui audit à patre &c. relegant nos ad patrem, qui loquitur per filium, & inquit, hunc audite.

Denique auditus externus potest esse cum aliquo studio discendi, & ordinis divini est is usitatus modus, ut conducat ad

conver-

conversionem auditus verbi, non nisi seriò studioseq; in illo versantibus. Sic igitur non nostro auditui & humano studio, sed auditui, quia Deo ad discendum est conformatus, hominis tribuitur conversio, non ratione efficientis, quod efficiat conversionem, nec meriti, ob quod convertamur, sed tamen ratione organi, idq; non per se, sed ex instituto & ordinatione divina. Errant ergo CryptoCalviniani, quòd auditum externum absq. omni studio discendi fingunt, indeq; absolutum beneplacitum de fide fatali comminiscuntur.

III. Ergo in homine situm est, ut quod illud audit convertatur. Resp. Est Elenchus oppositorum. Auditus per se non efficit conversionem, sed contemtus verbi per se impedit conversionem. Quòd autem homo convertitur per auditum, id totum est opus Dei, quod hoc organum consecravit excitandæ fidei.

Collectio adversariorum: Quòd aliqui convertuntur, aliqui verò nõ, aut est in Synergia quærendum, aut in absoluto decreto. Sed nõ est Synergia. Ergo absolutum decretum. R. neutrum est verũ, sed est aliquod intermedium. I. Efficacia S. Sãcti in ijs, qui studiosè audiunt verbum. II. Actualis cõtemtus mediorum ad fidem conferendam à Deo instituorum.

IV. Hæ phrases: In nobis est aliqua caussa, cur alij assentiantur, alij non assentiantur. Item in nobis est aliqua discriminis caussa, cur Saul abijciatur, & David recipiatur. Item dissimilitudo hæc, quòd alij convertuntur, alij non, est à vocante aut verbo vocantis &c. sed ab auditoribus dissimilibus diversitas illa oritur; Sunt repudiatæ antea. Ergo.

Resp. phrases hasce quidam usurparunt ad stabiliendum Synergiam in Spiritualibus in ipsa conversione. Nam status desuit, quidnam primo non renatus in ipsa conversione ex proprijs viribus præstare possit, & statuerunt aliquam Synergiam. Ergo rectè exploduntur phrases istæ hoc sensu, Qui abijciuntur & non convertuntur, propria culpa abijciuntur & non convertuntur: Qui verò acceptantur & convertuntur, ex mera gratia acceptantur & convertuntur. Deinde si sermo est de homine renato, qui lapsus, pænitentiam agit, & recipitur in gratiam, locum habere locutiones istæ aliquo modo possunt, licet homo non renatus contra conscientiam lapsus suis viribus resurgere non possit.

Est autem hic status quæstionis: Quid homo non renatus ante conversionem præstare debeat & possit? In qua quæstione tribuitur homini non renato, quod possit pædagogicam ministerij obædientiam externam præstare, id est, audire verbum

Duplex est status controversiæ in loco de libero arbitrio.

vel non, & cum studio quodam audire, meditari, aliquo modo vel contemnere, si actualem contemtum respicias. Si igitur homo insistit auditui & meditationi, promisit Deus efficaciam, si non, culpa defectus fidei non in Deum, sed in hominem redundat, teste parabola Christi, qui licet multi audiant, tamen auditorum differentiam & disparitatem expressè notat, quæ diversitatis notatio caussam in homines transfert, cur non omnibus fides detur. Est autem disparitas & diversitas auditorum non ratione peccati originis, cuius respectu omnes sumus pares, sed respectu diversi propositi in audiendo, & diversorum studiorum & peccatorum actualium respectu. Falsissimè igitur nobis impingere conantur Synergismum Calvinistæ. Nam sic fugienda est charybdis Synergismi, ne in Scyllam Calvinismi delabamur. Vtriq; ergò Calvinistæ & Synergistæ à media via deflectunt, dum alteri auditum externum sine studio discendi describunt, & ita absoluto decreto fidem dari autumant: Alteri verò auditum externum non solùm studio discendi describunt: Sed etiam illi Synergiam in fide accendenda asscribunt. Media igitur via incedimus, auditum externum cum studio discendi quidem coniunctum, & tamen à Synergismo abiunctum docentes.

I. Cum Synergistis.

II. Cum Calvinistis.

De Secundo.

Calvinistæ docent electorum interdum concuti, langvescere & infirmari posse fidem, sed eos nunquam penitus eam posse amittere, ut nec gratiam & Spiritum sanctum, & utuntur similitudinibus.

1. Fidem ceu scintillam quasi sub cineribus sopitam manere, & rursus à Spiritu Sancto veluti flabello quodam excitari.

2. Semen remanere,

3. Beza: Sicut ebrius non amittit intellectum seu rationem, etsi quandiu ebrietas caput eius occupat, ratio sese non exerat, sed similis sit animali bruto. Sic in Davidis adulte-

rio

rio factum est, in quo gratia Dei ad tempus tecta, sed non amissa fuit:

4. Post lapsus regeneratorum in animis non secus atque Echo è concavis locis resonante, ex mutuo illorum per fidem respondentium consensu emergit invocationis fiducia.

5. Quemadmodum â terræmotu & fulmine cùm tectum domus decidit, tùm fundamentum concutitur & debilitatur: Sic &c.

6. Beza. Fidem in electis interrumpi dico, ut in ijs qui lethargo laborant.

Hæc paradoxa Calviniana sunt falsissima. Nam

I. Protoplasti fuerunt electi, & tamen lapsi contra conscientiam amiserunt fidem & gratiam, iuxta comminationem: Morte morieris, quæ est mors Spiritualis quoque, id est, amissio Spiritus sancti & fidei. Deinde ex pœnitentia patet. Nam pœnitentiam egerunt protoplasti. Ergo sunt in gratiam recepti. Si in gratiam recepti. Ergo gratia prius exciderunt, Quia qui est in gratia, non recipitur in gratiam.

II. David Psal. 51. petit Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Ergo potuit amittere,

III. Spiritus Iehovæ recessit à Saule. 1. Sam. 16.

IV. Si averterit iustus se à iusticia, & fecerit iniquitatem, nunquid vivet? Omnis iusticiæ eius non recordabor amplius, in peccato suo morietur, id est, fidei & gratiæ vitam morte peccatorum interimet.

Sed Sancti à iusticia sua aversi fecerunt iniquitatem. Ergo aliquando non vixerunt.

V. Crudelis servus initio magnam habuit fidem, alioquin enim non consecutus fuisset condonationem debiti: Sed tamen postea eandem amittens damnatus est.

VI. Propter incredulitatem defracti sunt, tu verò per fidem stas. Ergo per fidem inserti iterum excindi possunt.

VII. Hy-

VII. Hymenæus & Alexander circa fidem naufragium fecerunt 1. Tim. 1. Ergo &c.

VIII. Proprium fidei effectum est vitę sanctimonia. Ergo deficiente hac, deficit & extingvitur illa quoq;.

IX. Si Calviniana doctrina locum haberet, sequerentur multa absurda & blasphema.

1. Inanes essent omnes adhortationes Christi & Apostolorum ad renatos de cavendis peccatis.

2. Confirmaretur ἀσωτία in hoc seculo ἐπιδυμητικῶς.

3. Introducitur error pontificius & Anabaptisticus, qui fidem iustificantem scortatoribus quoq; tribuunt.

De Tertio.

1. Calvinistæ quidam omninò negant infantum fidem, & cùm Christus de liberis loquitur Matth. 18. explicant de parvulis
2. grandiusculis. Alij concedunt, quòd infantes fidem habeant
3. δυνάμει potentia, sed non actu. Aliqui docent infantes habere
4. semen fidei seu radicem fidei. Aliqui papissant, nempe, infantes in fidem parentum & Ecclesiæ, non in propriam fidem baptizandos esse.

Sed nostra sententia de fide infantum est analoga fidei. Nam Christus ait: Matth 18. qui in me credunt, & Lucas & Marcus explicant Matthæum & vocant parvulos τὰ βρέφη, id est, ab uberibus matris pendentes. Deinde exempla Iohannis & Ieremiæ hoc ipsum probant, nam non falsò colligitur à particulari ad universale hoc loco, ut garrit Beza. Falsissima est collectio à particulari ad universale, aut ab exemplo ad regulam, quando particulare & exemplũ discrepat à regula: Quando verò exemplum & particulare cum regula congruit, tunc idem valet exemplum & particulare, quòd regula universalis. Cum igitur habeamus regulam Christi, quòd infantes in Christum credant, ideò hîc rectè colligitur à particulari ad universale.

Præterea vocabulum δυνάμεως seu potentiæ πολύσημον est. Nam in philosophia interdum sumitur illa vox pro ipso actu primo in re, de qua agitur iam existente, seu pro ipsa forma, qualitate, & habitu positivo, atq; sic pro facultate proqinqua,

&

& sic dicitur δύναμις respectu actuum secundorum sive operationum, in quas sese proferre solet illa δύναμις seu actus primus. Sic philosophus quando dormit & non disputat, dicitur philosophus potentia, non quod careat habitu scientiæ, sed quia actu scientiam non exerit. Aliàs usurpatur de privatione utriusque actus primi & secundi, ubi nec actus primus sive habitus, nec secundus habetur. In priori significatu potest concedi, quòd infantes fide sint præditi δυνάμει, & Christus in statu exinanitionis secundum humanam naturam dicitur omnipotens potentia, non semper actu, sed Calviniani vocabulum δυνάμεως in secundo significatu acceptant, ita ut nec habitum ullum fidei, nec operationes sive motus ullos fidei parvulis concedant, ut sit summa sententiæ Calvinisticæ, quòd infantes aliquando possint fidem accipere, videlicet ex auditu verbi, cùm nonnihil adoleverint, & sic δύναμις tribuitur infantibus, quæ in nullum actum traducitur. Ergò adversarij sub hoc vocabulo tantùm latebras quæritant & incautis glaucoma objiciunt, ne omninò nihil de fide parvulorum sentire videantur.

Tertiò, æquivoca est etiam vox seminis, nam sentiunt semina fidei latere in ipsa natura parvulorum, & Synergismum introducunt. Sin verò per semen intelligunt Spiritum sanctum, qui detur infantibus, licet omni fide vacuis, impingunt in articulum fidei de inhabitatione Spiritus sancti, qui nusquam datur hominibus ad gratiam, nec gratiosa operatur in ijs sine interventu veræ fidei.

Quartò. Baptismus non prodest sine propria fide. Nam iustus sua fide vivet, & Baptismus in dubium vocaretur per sententiam Calvinisticam, dum parentes & susceptores sæpè sint impij & perversi.

Formalis.

Ad caussam formalem pertinent duo.

1. Quòd fides sit appræhensio, acceptio seu applicatio.
2. Qualis sit applicatio: Quomodo & quibus motibus fiat appræhensio seu applicatio illa.

I. Tribus utitur scriptura significantissimis verbis Ioh. 1.

non compræhenderunt, non receperunt. Quotquot autem acceperunt, ἔλαβον, κατέλαβον, παρέλαβον, Coll. 2. sicut παρελάβετε Iesum Christum.

Et Demosthenes huius verbi significationem ita explicat, quod ab alio offertur & traditur, ad se recipere. Hanc proprietatem & hoc officium in promissione Evangelij accipere & appræhendere Christum, & in Christo misericordiam Dei ad iusticiam, scriptura non operibus, sed soli fidei tribuit Ioh. 1. cùm dixisset, quotquot receperunt eum &c. mox adijcit explicationem, qui sint qui Christum recipiant, & quomodo accipiatur, Qui scilicet credunt in nomen eius.

II. Deinde non tantùm hoc de fide prædicat scriptura; sed etiam describit, quomodo & quibus gradibus fiat illa applicatio. 1. noticia. 2. noticiæ coniuncta assensione, non quidem generali nec superficiali, sed quæ firma persuasione universalem promissionem privatim singulis applicet credentibus.

3. Fiducia, quæ firma persuasione statuit, Deum tibi donare & applicare beneficia promissionis, & te hoc modo verè appræhendere & accipere ad iustitiam.

4. παῤῥησία, quæ sequitur ex hac fide, quæ habet accessum ad Deum Eph. 3. pax conscientiæ Roman. 5. gaudium Spiritus Rom. 14. ut cor sentiens novam vitam & lætitiam in Deo suaviter acquiescat in promissione gratiæ, etiam in cruce, in ipsa denique morte Rom. 5. Est igitur appræhensio, acceptio seu applicatio promissionis gratiæ formale fidei iustificantis iuxta phrasin scripturæ: Deinde scriptura describit, quomodo fiat applicatio, seu quomodo fides iustificans circa suum illud obiectum versetur, scilicet non assensione generali, sed individuali appræhensione & fiduciali, ita ut appræhendat, accipiat, & privatim singulis credentibus applicet promissionem gratiæ, ut in ea acquiescat ad iustitiam.

Consectaria.

1. Fides non iustificat absolutè, quatenus in prædicamento Qualitatis est habitus voluntatis & mentis seu virtus, seu non iustificat legaliter, quatenus pertinet ad legem, non formaliter, respectu suijpsius, sui dignitate, præstantia & essentia.

2. Iustificat fides relatè, quatenus in prædicamento relatio-

nis refertur ad obiectum, ſcilicet, promiſsionem de Chriſto, ſeu iuſtificat correlativè, inſtrumentaliter ratione applicationis Euangelicè, ratione obiecti. Item μεταληπτικῶς & συνεκδοχικῶς. Nam fides appræhendens Chriſtum & iuſtitiam pro ipſa iuſtitiæ appræhenſa ſumitur. D. Pomeranus uſus eſt hac ſimilitudine: Sicuti differunt annulus aureus & gemma inſerta annulo: Ita differunt fides & Chriſtus: Sicut igitur annulus magni fit & æſtimatur, non propter exiguam auri maſſulam, ſed propter gemmam inſertam: Sic fides dicitur iuſtificare non reſpectu qualitatis, ſed ratione gemmæ, id eſt, reſpectu Chriſti mediatoris.

3. Quemadmodum fides ipſa iuſtificat non ut eſt in prædicamento qualitatis, ſed relationis: Sic etiam actus ſecundus fidei, ipſa ἐνέργεια, ſeu ipſum credere non per ſe etiam velut ex opere operato ſalvat. Sed hac itidem ratione ſola, quatenus hæc ἐνέργεια fidei ſe vertit ad Chriſtum, ipſumq; amplectitur. Itaq; ipſum ἐνεργεῖν ſeu credere, quatenus eſt ſimpliciter in prædicamento actionis quædam ἐνέργεια nõ ſalvat, ſed quatenus in prædicamento relationis in Chriſto acquieſcit.

4. Cùm dicitur quòd fides iuſtificet relativè; relatio non tantùm nominatur in actu ſecundo ſeu fideli mẽtis cogitatione, ſed etiam locum habet in actu primo fidei. Itaq; etſi fides non iuſtificat, in quantum virtus ſeu habitus quidam eſt: tamen ipſe ille habitus, ipſa illa virtus, verè iuſtificat, ratione differentiæ relativæ, qua promiſsionem de Chriſto amplecti prædicatur. Poteſt quippe etiam actus primus alicuius virtutis ſe habere relativè, quemadmodum non tantùm actus ſecundus ſcientiæ ſcilicet ſcire relativè ſe habet ad obiectum ſcibile, ſed ipſe quoque ſcientiæ actus primus, ſiquidem ἐπιστήμη eſt τοῦ ἐπιστητοῦ ἐπιστήμη, ſic fides eſt rei creditæ fides, quæ licet non omnibus horarum momentis de Chriſto cogitationem inſtituat, ſed ratione actus ſecundi interdum, ut in ſomno & aliàs interquieſcat: Tamen actu primo Chriſtum appræhenſum, & in corde requieſcentem habet ac poſsidet.

III. In ſingulis gradib. fidei virtus Dei in infirmitate perficitur. Fides.n. iuſtifica non ſemper eſt lux ardens, ſed ſæpè linũ fumigãs, gemitq; abſcõditus, deſideriũ obſcurũ, nõ clamor ſonorq;. Eſt fides magna in cẽturione & Cananæa, eſt modica Matt. 14.

eſt infirma Rom. 14. Et illa infirmitas eſt vel in noticia, ſicut Apoſtoli multos articulos nõ ſatis intellexerunt, vel eſt in fiducia Matth. 6. & tamen ſcriptura dicit: linum fumigans non extingvi, gemitus eſſe inenarrabiles Rom. 8. hoc eſt, langvidam fidem tamen eſſe veram fidem & iuſtificare, Phil. 3. appræhendo, imô magis appræhenſus ſum à Chriſto. Gal. 4. Cognoviſtis Deum, imô magis cogniti eſtis à Deo.

IV. Singuli gradus fidei non ſemper æquè ſunt illuſtres in credentibus, ſed fides iam in hoc, iam in illo gradu magis laborat, & tamen eſt fides, modò verum obiectum retineatur. Lucta enim vel in aſſenſione vel in fiducia non eſt ſignum incredulitatis, ſed vera nota veræ fidei, quæ captivat πᾶν νόημα in obſequium Chriſti.

V. De fide non eſt ſtatuendum ex ſenſu conſolationis & gaudij Spiritualis, quia quartus gradus ſequitur fidem, & non eſt de eſſentia fidei, & Deus ſenſum illum pacis credentibus ſæpè ſubtrahit. Sed quando obiectum verum eſt in verbo, & ſequuntur motus prædicti vel ſaltem conatus & deſiderium, tunc eſt vera fides, de his in proprietatibus fidei prolixè agitur.

Hic autem inter nos & Papiſtas eſt ſtatus controverſiæ, an peccator agens pœnitentiam cùm appræhendit promiſsionem gratiæ, poſsit ac debeat certa fiducia ſtatuere, ſe eſſe in gratia, ſibi eſſe remiſſa peccata, an verò non? Nos affirmativam defendimus, ipſi negativam, & fingunt varia. Fidem in genere ſtatuere, promiſsiones divinas eſſe veras, & in genere non dubitare de Dei miſericordia & merito Chriſti, ſed de ſpeciali applicatione ad ſingulos credentes, an ego, qui credo, beneficiorum Chriſti ſim particeps, fidem non debere certi aliquid ſtatuere, ſed debere in dubitatione ſuſpenſam manere, & hanc dubitationem numerant non inter infirmitates carnis, ſed virtutes fidei. Huc pertinent verba eorum: Fides, ſi hæc noſtra tempora contemplemur, verſatur in propoſitionibus generalibus, qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſalvus erit, qui ſervat mandata, ad vitam ingredietur. Non verò eſt iſtorum, ego ad vitam ingrediar aut mihi peccata remiſſa ſunt. Item, Fides eſt generalium pronunciatorum, ſi hæc noſtra metiamur tempora, ſpes autem ſpecialium. Colonienſes, fidem verſari circa propo-

ſitio-

ſitiones generales, applicationem verò circa ſpem: Et ita explicant gratiam, remiſsionem peccatorum & vitam æternam, ſperant firmiter magno animo, non tamen credunt. Fides enim falli nequit, ſpes autem ſubinde fallitur. Quamdiu enim ſperamus, incerti ſumus.

Habemus hîc pſeudodogma Papiſtarum de dubitatione, fidem ſcilicet meam non debere in Chriſto hoc quærere, ut ego ſalver, ſed debere contentam eſſe generali aſſenſione, certam eſſe hanc ſententiam, qui crediderit, ſalvus erit, an verò ego qui credo ſalvus ſim futurus, me nec debere nec poſſe credere.

Affirmativa Lutheranorum eſt petenda ex hiſce argumentis.

I. Ex veritate verbi divini. Hoc dixit Deus, inquit Auguſtinus, hoc promiſit, ſi parum eſt, hoc iuravit Ezech. 18. 33. Sed ſi obijcias, quòd Paulus dicit, & nos in Chriſtum credimus, iuſtificemur. Item, Ego vivo in fide filij Dei, qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me Roman. 4. Scriptum eſt propter nos, quibus imputabitur credentibus. Item, Illud ſæpiſsimè in Evangelio repetitum, fides tua te ſalvum fecit: Remiſſa tibi peccata tua &c reſponſant, fides eſt generalium pronunciatorum (ſi hæc noſtra contemplemur & metiamur tempora) voluntq; tempore Chriſti & Apoſtolorum veras fuiſſe has ſententias, noſtro verò tempore non.

II. Ex natura & proprietate fidei, quæ ὑποστάσει καὶ ἐλέγχῳ definitur, cui παῤῥησία καὶ πληροφορία tribuitur.

III. Ex uſu Sacramentorum, quæ ſunt σφραγῖδες, id eſt, ſummæ certitudinis notæ.

IV. Ex Arrha, obſignatione & teſtimonio Spiritus ſancti Epheſ. 1. 3. credentes obſignati eſtis Spiritu promiſsionis ſancto. 2. Cor. 1. 22. Eph. 4. 30. Rom. 8. 16. Ipſe Spiritus conteſtatur Spiritui noſtro, nos eſſe filios Dei. Obſignatio ijs adhibetur, quæ volumus alijs, ad quos illa pertinent, indubitata eſſe. Eſ. 8. obſigna legem. Cant. 8. pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum.

V. Exemplis ſanctorum, Abrahæ Rom. 4. 21. Apoſtoli in præſenti loco.

VI. Ex ijs ſcripturarum locis, quibus dubitatio diſerta repræhenditur, qualis in primis eſt Iacobæus ille Iacob. 1. 6. 7. & fidei dubitatio eſt contraria.

VII. Plane

VII. Planè nova Grammatica eſt, ſperare in Deum, confidere Deo iuxta ipſius verbum, idem eſſe quod dubitare. Sic gloſſa papiſtica, in Deo ſpero, id eſt, non credo ſed dubito. Spes quidem verſatur circa obiectum futurum, ſed non mutabile & fallax. Ideoque ſpes Chriſtiana non eſt fluctua ſpes & fallax, ſed ſtabilis & immota. Spe ſalvi ſumus. Ergo non fluctua ſpes ſed certiſsima intelligitur.

VIII. Eadem eſt fidei & iuſtificationis ratio omnium tẽporum, ſicut Paulus teſtatur. Rom. 4. ubi propterea Abraham patrem credentium appellat, id quod Deus ſic annunciavit fore Abrahamum multarum gentium patrem. Ergo omnium gentium, omniumq; temporum, Eadem eſt ratio fidei. Si filij Abrahæ genuini eſſe debent, & exactè referre parentem. Sic Act. 5. inquit Petrus de Apoſtolis & gentibus: Deus nihil diſcrevit inter nos & illos fide purificatis cordibus eorum. Item de his omnibus & patribus per gratiam Ieſu Chriſti credemus, nos ſalvatum iri, quemadmodum & cæteros.

Proprietates.

1. Nititur fides verbo & promiſsione. Verbum eſt correlativum & fundamentum fidei. Nam ut lex & promiſsio addita legi habent ſe correlativè ad noſtra opera, & hac conditione ceſſante, ceſſat etiam ipſa promiſsio legis reſpectu noſtri: Ita promiſsio Evangelij & fides habent ſe correlativè: Sicut igitur pater habet ſe correlativè ad filium, & viciſsim filius ad patrem: Ita eſt mutuum iter inter promiſsionem Evangelij & fidem, Roman. 4. Ideo ex fide ut firma ſit promiſsio. Item in promiſsionem Dei non dubitavit diffidentia. Roman. 10. Quomodo credent, de quo non audiverunt, & non eſt fides magna quadam pertinacia vel confidentia aliquid ſtatuere, & certa perſuaſione aliquid adſerere: Poſſes tibi imaginari magna credulitate, fore te regem totius Europæ, & parem potentia Carolo. Q. An id erit fides? Quin potius inſignis dementia. Non igitur fides eſt inanis opinio, præſumtio, perſuaſio, imaginatio, aut enthuſiaſtica phantaſia & in animo concepta δόκησις, impreſsio & ſpeculatio, ſed eſt firma, certa & indubitata ſententia, quæ promiſsioni divinæ innititur. Non propria imaginatione ſibi

finxerat

finxerat Abraham, se fore patrem multarum gentium, se fore hæredem mundi, sed audiverat hoc ex ore Dei. Itaq; hoc verbum Dei est fidei fundamentum. In omni igitur fide ad promissionem est respiciendum, idq; propter quatuor rationes.

1. Sumitur ex caussa efficiente. Verbum Dei est doctrina de cœlo revelata, ad quam omnes homines sunt alligati. Esa. 8. Ad legem & testimonium. Galat. 1. Si angelus de cœlo aliud Evangelium docuerit, anathema sit.

2. Ex caussa materiali. Articuli fidei sunt supra & contra rationem. 1. Cor. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus. Ergo necessario ad verbum Dei est respiciendum.

3. Ex caussa formali. Eloquia Dei sunt munda Psal. 19. 119. 12. Sermo Dei est veritas Ioh. 17. Sed omnes homines sunt mendaces Psal. 116. & dictata hominum sunt fallacia. Ergo verbo Dei est innitendum.

4. Ex caussa finali. Verbum Dei est unicum nostrum refugium, asylum in ærumnis & morte, quando ab omnibus creaturis sumus derelicti. Ergo verbum Dei necessariò primatum teneat, & iudex constituitur in articulis fidei.

II. Proprietas. Fides credit contra spem in spem Rom. 4. 1. Abraham credidit Deo contra naturæ ordinem promittenti, seu vocanti ea, quæ non sunt. 2. Credidit contra spem ex rationis humanæ principijs ortam in spem fide in verbo conceptam. Ergo credidit res cum ratione pugnantes ex diametro.

Consectaria.

I. Quòd fides credat etiam ea, quæ sunt contra naturæ ordinem, quod cum philosophicis demonstrationibus, & naturæ principijs non congruat, cùm eius fundamentum sit omnipotentia Dei. Ergo qui impossibilitatis rationes inquirunt, fidei fulcrum subruunt.

II. Quòd posito verbo nulla ἐμπόδια rationis admittat. Ergo errant Calvinistæ, qui hanc mensuram fidei statuere conantur, ne sint cum natura pugnantia, vel rationi non conformia, quæ fides amplecti debeat.

Grynæus

Grynæus disp. Heydelb. Anno 84. thes. 25. rationi humanæ, quæ post regenerationem Spiritualis facta est, & probat non errores philosophiæ, sed vera principia de humani corporis proprietatibus essentialibus, quatenus verum testimonium creaturis perhibet, fidem non derogamus. Revera enim pium est, cùm de sacro Christi corpore quæritur, testari illud locale & nostris simile esse respectu substantiæ. Thesi 26. Confutantia eorum scilicet Lutheranorum principia sunt:

I. Contemtus rationis humanæ.
II. Irrisio veræ philosophiæ.
III. Sophistica multiplex, &c.

Etsi Calvinista mysteria divina non rationi humanæ simpliciter subijcit, videlicet non ante regenerationem, sed post regenerationem: Tamen fundamentum Calvinianæ opinionis ponit in iudicio rationis humanæ. Vnicum enim rationis humanæ & regeneratæ iudicium, basis & fundamentum est, ipsorum falsæ de corpore Christi opiniones. Sic enim ratio colligit: Ratio hominis regenerata verum dicit, corpus Christi esse locale & simile nostris ratione substantiæ. Nostra autem corpora non possunt simul esse in pluribus locis. Ergo & corpus Christi. Quo posito, metonymiam statui signi & signati absentis.

Quæstio igitur nunc est, an hæc argumẽtatio sit rationis regeneratæ vel non regeneratæ. Grynæus dicit, rationis regeneratæ, quod est falsum. Nam etiam fuit Aristotelis, Platonis intelligentia & omnium philosophorum. Atqui regenerata humana ratio corpus Christi non modò considerat in proprietatibus essentialibus, quod etiam ratio non regenerata facere potest, sed verbum Dei intuetur, quod corpori Christi prærogativas tribuit supernaturales proprietates ratione unionis. Ergo non est regeneratæ, sed non regeneratæ humanæ rationis argumentatio, cuius vicium etiam ratio regenerata videre & iudicare potest. Deinde absurdi sunt Calvinistæ, qui credere nolunt, quæ intelligere mentis acie non possunt: non esse credenda mysteria quæ cum intelligentia rationis humanæ regeneratæ pugnant: & errare Lutheranos, qui proponant credenda, quæ regeneratorum ratio non intelligat. Respondemus, quæ

Deus

Deus credenda, Calviniſtæ intelligenda proponunt, quod eſt contra univerſam ſcripturam.

I. Certè habuit Paulus mentem regeneratam cum ſuas ſcriberet epiſtolas, & de renatis loquitur, adeoq; ſeipſo cùm inquit: Captivantes πᾶν νόημα noſtrum ſub obſequium Chriſti. Ergo concidit κρκοφύγετον de regenerata ratione.

II. Nullibi docuit Paulus credere idē eſſe, quod ex principijs philoſophicis intelligere. Ergo diſcrimen eſt inter intelligere & credere. Hebr. 11. legitur, fide intelligimus condita eſſe ſecula. Vox intelligendi propriè reſpicit ea, quæ mentis ſive humanæ rationis acie poſſunt percipi. Hic autem de fidei intelligentia loquitur, iuxta quam non intelligendo credimus, ſed credendo intelligimus. Nam intelligentiæ fidei obiectum ponitur verbum Dei, quod non intelligitur, niſi credatur, ut hoc ipſum intelligere nihil aliud ſit quàm credere huic verbo, cui ratio in nobis perpetuò reclamat, & eius νόημα ſeu cogitatio extra verbum & in res ipſas intenta ſemper eſt captivāda in obſequium fidei Chriſti. Vult ergo Apoſtolus dicere, mundum nō eſſe ab æterno, id non ratio nobis dictat, ſed in verbo Dei revelatur. Nam ratio ridet hunc articulum, ſed per fidem in Dei verbo hoc cognoſcitur. Ergo diſcatur ordo fidei & intelligentiæ noſtræ in rebus Spiritualibus. In philoſophia tunc credimus aliquid, quando mentis acie intelligimus rem ita ſe habere. In Spiritualibus autem & cæleſtibus myſterijs πίστις antecedit νόησιν. Nam præcedente verbo credimus ea, quæ nec ſenſibus percipi, nec cogitatione concipi, nec νοήσει mentis extra verbum compræhendi poterant. Sunt enim myſteria illa non νοητὰ ſed πιστὰ, non intelligentiæ ſubiecta, ſed ſoli fidei obvia, unde animalis homo οὐ δέχεται, οὐ δύναται γνῶναι 1. Cor. 2. nec intelligendo credit ſed credendo intelligit, mēte nimirum renata iuxta illud, ſi crediderit is, intelligetis. Abſurdum igitur eſt aſſerere credere nolle, quæ intelligere mentis acie non poſſumus. Quod cùm faceret Nicodemus ac Thomas ſunt repræhenſi, & perijſſent, niſi aliter paſsi fuiſſent erudiri Iohan. 3. 20. Certè per fidem ſimplex Chriſtianus magis intelligit, quàm ingenioſus homo, qui non ſolum credere, ſed etiam ſupra vulgus ſe intelligere putat. Ergo intelligentia myſteriorum in fide collocata eſt, qua in-

telligimus, quæ ratio non intelligit. Sic psal. 32. loquitur de intellectu fidei, quo homo verbum amplectitur, non ratione humana intelligit.

III. Fides nunquam est sine lucta. Nam lucta carnis & Spiritus non tantùm est intelligenda de crassa concupiscentia carnis, Ea enim est minima pars huius pugnæ, sed est intelligēda maximè de pugna fidei & rationis humanæ, ubi ratio semper repugnat & est mortificanda. Fides autem solum verbum intuetur, cui contra iudicium rationis assentitur, & quam fides captivam ducit, neq; liberam amplius dimittit, & adversus illam usq; ad mortis articulum pugnat. Impedimenta autem obijciunt fidei plerunq; τὰ σωματικὰ καὶ φυσικὰ. Hæc si in consideratione veniunt seposito verbo promissionis, fides vel naufragium facit, vel ἀσθένειαν patitur. Sic Petrus viso vento infirmari cœpit, Martha considerans fætorem & quadriduanam sepulturam Lazari desperat de eius resuscitatione. Mente igitur & oculis ab impedimentis quibusvis aversis, in solum Dei verbum intueatur, luctetur adversus omnis generis tentationes, nec perturbetur ullis obiectis contrarijs, nō moveatur experientia cōmuni, nec frangatur necessitate naturę vel caussis secundis, non seducatur specie religionis, non cedat ullis præstigijs Satanæ, sed clausis oculis aures aperiat, & soli Deo adhærescat, & in eo acquiescat. Huc pertinent exempla: Noe Gen. 8. non dubium est, quin cor eius variè æstuaverit, cùm se tamdiu protrahi cerneret, sentit, videt mortem præ oculis. Sed convertit oculos in promissionem Dei & servatur. Abraham se repente à vita avertit & in mortem tradit. Egregia fides omnes huius vitæ affectq; exuit, obliviscitur patrem, matrem, promissionem, vitā ipsam. Non potuerunt hæc vinci sine ingenti certamine, non stipes, & insensatus fuit, sed egregiè vincit fide, & pro mortuo filium vivum accipit. Iacob nihil aliud videt, quàm mortem, nam vir ille vult ipsum occidere, sed non colligit iuxta sensus, sed innititur verbo, er hette sich ehe zureissen lassen/ & sic vincit. Ionas nihil aliud cogitavit, nec vidit oculis corporis, quàm præsentem interitum, quem tum palpitavit cor, sed luctans contra carnis affectum, & invocans Deum, victor evadit. Sic Transitus Israelis ex Ægypto per mare rubrum & desertum in promissam

terram

terram Canaan idem innuit. Ibant Iudæi per medias mortes, ante se habebant mare rubrum, pôst Pharao insequebatur cum gladio, à sinistris & dextris erant montes. Sed quia Moyses stat & clamat, non respicit ad naturæ impossibilitatem aut carnis affectum, ideo pro mera morte vita fit. Sic pij in morte sunt egredientes ex Ægypto id est, relinquentes regnum Diaboli & mundi, venimus ad mare mortis, undiq; premimur, undiq; interitus nobis imminet, wir müssen von dem vngewissen vfer des Lebens Abspringen/in den Abgrundt/ necesse est nos incedere per medias mortes, ibi nullus sensus, nulla mica vitæ. Sed stemus, non respiciamus ad naturæ impossibilitatem, aut carnis affectum, nihil moremur suggestionem carnis, eius inquietudini nihil cedamus, sed oculos convertamus in verbum, & ad finem usq; mordicus retineamus, tunc per medium mare periculorum & ærumnarum ducti per Christum in portum salvi & incolumes perveniemus. Quotiescunq; igitur Satan suis avocamentis huc illuc diducere tentat, mentes nostras ad verbum Dei colligamus, & tàm solidè innitamur, ut quæ caro videt nunc & palpat, alto Spiritu spernamus. Nam non alibi quàm in solo Dei verbo fundatur fides, adeò ut nullis machinis concussa labascat.

III. Proprietas. Adversus promissionem non disceptavit diffidentia curiosa, διακρίσει modum eius investigare volens Rom. 4. εἰς τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ θεοῦ οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ non disceptavit diffidentia. διάκρισις significat cum mentis discursum, quo cogitationibus in rem aliquam inquiritur, num ita se habeat aut fieri possit, quod promissum, cuius propria est quæstio τοῦ πῶς, quæ infidelitatem arguit οὐ διεκρίθη non disceptavit, id est, non tanquam de re dubia disceptavit cum infidelitate. Vt autem quomodo duplex est: Sic etiam διάκρισις. Quomodo & διάκρισις τῆς πίστεως quando inquiritur voluntas Dei in verbo, & hæc est concessa: Deinde quomodo & διάκρισις τῆς ἀπιστίας, quæ est duplex 1. absurditatis. 2. Impossibilitatis. Hæc in articulis fidei est prohibita. Nam vera fides non curiosè disceptet & in DEI promissiones inquirat, sed simpliciter credat.

Quemadmodum enim iumentorum oculi, quæ molendinis ſerviunt, velari ſolent, ut hoc opus commodius exequantur, ita planè ubi cum Deo agit homo rationis ſummæ eſt, rationis oculos claudere, & fidei aperire, & ſic cum Deo agere, ut poſsit cum pſalte dicere: Iumentum factus ſum apud te. Calvinus rectè dicit. Fidei eſt oculos claudere & aures aperire. Nam nunquam ſatis ſolidè innitimur verbo Dei, quàm diu ſenſibus noſtris ſumus affixi, imò donec eouſq; ἀπιστίας emergat fides, neſcimus quid ſit Deo loquenti ſubſcribere. Ergo conſtanter adhæreamus Dei verbo, & in eo ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ φύσιν, ὑπὲρ σάρκα, ὑπὲρ αἴσθησιν, ἐμπειρίαν, λογισμὸν καὶ φρόνημα σαρκικὸν acquieſcamus. διάκρισις facta eſt in mente Evæ, cùm illi Satan diceret, novit Deus, quòd aperientur oculi veſtri, talis fuit διάκρισις in Petro ſubmergente Mat. 14. Talem fovent διάκρισιν Calviniſtæ & ſibi propter iſtam διάκρισιν pulcrè ſapere videntur, & ob hãc cauſſam, rationem nobis datam eſſe nugantur. Atqui πᾶν νόημα eſt captivandum 2. Cor. 10. & διάκρισις & ἄπιστία cum ignominia Dei coniuncta eſt. Sic leproſi Luc. 17. cùm ad ſacerdotes remittuntur & Naeman Syrus. 4. Reg. 5. Si non captivaſſent rationem, non fuiſſent ſanati.

IV. Proprietas eſt ἐν δυναμία πίστεως & πληροφορία, διακρίσει ἀπιστίας & τῇ ἀπιστίᾳ opponitur. Sunt duo nervi πληροφορίας, veritas & omnipotentia Dei, dicit enim Apoſtolus πληροφορηθεὶς, quòd quæ promiſit Deus, potens etiam ſit præſtare. Dubitare vel de veritate vel omnipotentia Dei ſunt quaſi novaculæ duæ, quibus nervi iſti fidei inciduntur. Vera igitur fuit fides Abrahæ, qui 1. non parcit filio ſuo. 2. unigenito. 3. conciliavit ea, quæ erant coram ratione ἀσύστατα, quæ adverſa frõte pugnare videbantur. Nam habebat promiſsionem de filio: In Iſaac erit tibi ſemen, & præterea accedit mandatum de oblatione filij. Hæc erant certa coram ratione contraria, & nemo hominum ex ſui ingenij acie conciliare noverat. Quid verò agit Abraham, num de veritate promiſsionis ambigit? num ad mandatum Dei tergiverſatur, metuens impletioni promiſsionis gratiæ? netrum fecit, ſed conciliavit hæc contraria. Quomodo? per fidem conciliavit ea Heb. 11. fide obtulit Abraham Iſaacum &c.

Quomodo

Quomodo per fidem? Fides nititur duobus fulcris scilicet veritate & omnipotentia Dei. Deus est verax in suis promissis. Promisit mihi semen. Ergo præstabit. Atqui habeo mandatum iam de mactando filio. Ergo ut constet promissio, potest ipsum ex mortuis excitare Deus. Sic enim Epistola Ebr. 11. ait: putans, quòd ex mortuis ipsum excitare posset Deus. Hoc exemplum fidei Abrahæ nos imitemur in promissionibus divinis, etsi illis tota rerum facies reclamare videtur. Nam etsi cœca ratio nescit conciliare cum ratione pugnantia, tamen fides consideratione veritatis & omnipotentiæ Dei optimè ista conciliat. Eximenda est igitur ἀθεοσοφία Calvinistarum, qui nervos fidei incidũt, dubitant de veritate & omnipotentia Dei, & disputant contra omnipotentiam Dei, Deum omni sua potentia non posse efficere, ut unum & idem corpus simul sit in pluribus locis, Item. Deum non esse omnipotentem absq; omni exceptione. Sunt autem observanda vocabula ἐνεδυναμώθη & πληροφορηθεὶς, quæ fortissimum bellatorem describunt, qui ope Dei fretus & Spiritu eius confirmatus, maxima & difficilima quæq; conari, adire & aggredi ausit, nihil dubitans de victoria & felici exitu. Nam hæc vox plerophorias significat aliquid pleno animi motu agere, ut cùm refertur ad plenam noticiam. Rom. 14. unusquisq; in proprio sensu πληροφορείσθω certa noticia constituat, pleno animi assensu statuat. Item ad actiones aliquas externas. 2. Tim. 4. ministerium tuum πληροφόρησον constanter & ardenter perfice. Item ἵνα δι' ἐμοῦ τὸ κήρυγμα πληροφορηθῇ, id est, ut mea opera prædicatio Evangelij diligenter ac serio promoveatur. Item ad spem, Ebr. 6. cupimus unumquenq; vestrum idem præstare studium, πρὸς τὴν πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος ad constantem & firmam spem. Ex his exemplis apparet, πληροφορεῖν significare pleno animi sensu ac motu aliquid agere. Sed præcipuè dicitur de certitudine fidei. Rom. 4. Vbi hæc vox metaphoricè ponitur, sumta metaphora à navibus, cùm plenis seu inflatis velis incitatæ feruntur, ex qua ratione similitudinis proverbium est, plenis velis navigare, ac de ijs dicitur, qui toti in aliquid incũbunt, aut alioqui felici cursu feruntur. Est enim quædam convenientia navium plenis velis navigantium, & animorum plena persuasione aliquid agentium. Nam naves 1. plenis & inflatis

cis velis recta seu rectissimo cursu contendunt ad aliquem locum. 2. celerrimè currunt. 3. nusquam hærent. 4. non circumspectant scopulos, syrtes & saxa latentia: Sic fides plena fiducia ad misericordiam Dei & meritum Christi contentissimo cursu fertur, non hæsitat, nec trepidat, nõ circumspectat scopulos & Syrtes tentationum, sed rectissimo cursu tendit in Dei promissionem securè recumbens, in eademq; acquiescens. Alij sic explicant τὸ πληροφορεῖν non significat τὸ πληροῦν, id est, implere, sed plenè certiorare. Vnde πληροφορεῖσθαι cùm ad personam refertur, significat certiorem ab aliquo fieri, certum esse ita, ut de re quapiam nulla sit amplius dubitatio. Sin autem ad res ipsas accommodetur τὰ πεπληροφορημένα πράγματα dicuntur, quæ certis testimonijs ita sunt comprobata, ut de ijs ambigi non possit, inde factum, ut Paulus πληροφορίαν vocet certitudinem plenam persuasionem, ex efficacia testimonij Spiritus sancti, cuius vi scilicet certò scimus, nos nihil posse separare à dilectione Dei.

VI. Proprietas est specialis applicatio & individualis. Nam fides non tantùm in genere statuit Deum in Christo, & propter Christum propitium esse, sed etiam in specie & in singulari seu individuo sibi applicat promissionem Evangelij, & omnia Christi beneficia ad se transfert, ut credens certò statuat universalem promissionem privatim ad se quoq; pertinere, se quoq; includi & comprehendi in universali illa promissione, sibi remissa esse peccata, se pronunciatum iustum coram Deo, sibi dari Spiritum sanctum, se constitui hæredem vitæ æternæ. Testimonia & exempla scripturæ applicationem ad individua ostendunt. Gal. 2. Apostolus primò ponit generalem sententiam, quòd non iustificetur homo ex operibus legis, nisi per fidẽ Christi. Secundò ponit applicationem specialem. Nos Iudęi in Christum credidimus, ut iustificemur. Tertiò in applicatione descendit ad individuum usq. In fide vivo filij Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me &c. Rom. 4. Scriptum est non tantùm propter Abraham, sed & propter nos, quibus imputabitur credentibus. Rom. 8. extat pulcerrimum exemplum, quomodo fides individua involvat & includat in genus seu speciem. Quis igitur separabit nos à charitate Christi? Nec est levis

applica-

applicatio, sed fiducialis fixa in misericordia Dei & merito Christi.

Sic igitur fidei est ἰδιοποιεῖν, non adimere quicquam alteri, sed sibi quoq; vendicare & applicare, id quod omnium & uniuscuiusq; est, ut Deus est omnium Deus, & tamen meus & tuus Deus est, intueor Deum non tantùm ut Deum aliorũ, sed meum, tuum & singulorum Deum clementem. Inde ait Paulus Rom. 1. Deo meo. Sic Deum omnium ἰδιοποιεῖται proprium sibi facit, agnoscit & applicat. Sic de Christo ponuntur tria Emphatica verba Coll. 2. In Christo ambulate, radicati & ædificati in ipso, & confirmati in fide. 1, ἐρριζωμένοι Metaphora ab arboribus. Vt arbor, quæ altas radices egit, licet ventis agitetur, evelli tamen nequit, ita fides, quæ in Christo Iesu egit radices, id est, intelligit beneficia Christi & agit pœnitentiam, licet varijs tentationum tempestatibus quassetur, non tamen frangitur, sed firma manet. 2. ἐποικοδομούμενοι καὶ βεβαιούμενοι. Est Metaphora ab architectonica. Vt ædificium, quòd in petra est constructum, & solido innititur fundamento non corruit, sed contra violentiam tempestatum consistit immotum. Ita pij, qui omnem spem in Christum ponunt, contra Satanam & casus tuti & muniti consistunt.

Hinc Christus Matth. 7. fidem comparat domui solidæ petræ superstructæ, ut valeat sustinere impetus ventorum, tempestatum, pluviarum & inundationum: Sic pij fidei suæ domum ædificant super petram salutis Iesu Christi, ut nullis procellis adversitatum & fluctibus subrui vel labefactari queat. Rom. 6. ait Apostolus: Nos cum Christo sepultos esse per baptismum in mortem, id est, Christi mors & sepultura per fidem nobis imputatur, cùm baptizamur. Christo facti sumus σύμφυτοι implatati, ut surculus à sua planta nativa avulsus, cùm secundæ stirpi inseritur, inde vitam & succum attrahit: Ita nos ex viciata natura in Christum, vitæ lignum transplantati, sic ipsi coalescimus, ut ab eo vitam & Spiritum ducamus. Hoc sensu dicit Paulus Gal. 2. cum Christo crucifixus sum, quasi dicat, quòd Christus in cruce pependit, tàm mihi imputatur, ac si ipse in cruce pependissem, & sangvinem meum pro peccatis meis effudissem.

In

In fide ego ſum imputativè crucifixus, mortuus, ſepultus, ſatisfeci legi divinæ. In Spiritu igitur gloriari poſſum, cùm credo in Chriſtum, me prorſus nihil debere legi. Suſtinui enim legis maledictionem, perſolvi pœnas, quas peccatis merueram, mortuus, crucifixus & ſepultus ſum. Ergo lex nihil iuris in me habet. Habeo dilectionem Dei ex toto corde & tota anima: habeo & perfectam dilectionem proximi & Spiritualem obædientiam iuxta omnia præcepta Decalogi. Quidnam poteſt à me lex amplius poſcere? Verùm hæc omnia non in mea perſona habeo, ſed in Chriſto, qui pro me mortuus eſt & legem implevit ardentiſsima dilectione Dei & proximi, quem Chriſtum cum omnibus regni ſui beneficijs induo per fidem. Sic igitur totus Chriſtus compræhenſus à nobis, iam totus ſcilicet noſter χρῆσις factus, præſens poſsidetur. Eſtq; meus Chriſtus χρῆσις καὶ κτῆσις.

VI. Proprietas fidei eſt aſſenſus ante experientiam, & ea, quæ in articulis fidei traduntur, pro certis habere, licet humana ratione conſequi, ſenſibusq; noſtris depræhendere non valeamus, idq; tùm in rebus Spiritualibus, tùm corporalibus, ut credere reſurrectionem carnis & glorificationem, quæ in altera vita experiemur, credere Deum nos ex periculis corporis erepturum, etiamſi modum oculis humanis nondum videamus. Eadem planè compræhenduntur & declarantur in deſcriptione fidei, quæ extat Ebr. 11. Fides eſt ſperandarum rerum ſubſtantia, argumentum non apparentium. Multi homines merguntur in deſperationem, eo quòd à ſenſu & experientia conſolationis exordiri volunt: Non, inquiunt, ſentio, in me fieri mutationem, nihil percipio conſolationis, non ſentio me trahi & agi Spiritu. Ergo non ſum de numero fidelium. Non ita dicendum eſt, ſed prius aſſentiendum eſt verbo etiam contra ſenſum & trepidationem cordis, quòd placeamus Deo. In cæteris rebus, ut in philoſophia, proceſſus eſt à priore. Medicus ubi guſtauit herbam pronunciat eſſe calidæ vel frigidæ naturæ. Cùm guſtaſti Zinziber, pronuncias & ſtatuis eſſe calidum. Sed in Theologia alia eſt ratio. Hic prius eſt credendum verbo: Deinde ſequitur experientia imò contra ſpem in ſpem credendum eſt. Si enim tamdiu eſſet expectandum, donec ſentiremus

nos

nos trahi, duci, & lætitia perfundi, iam non esset opus fide, cuius proprium est, non quæ coràm videntur vel sentiuntur, sed quæ nusquam apparent, & quæ impossibilia videntur, statuere & credere. Id quod est æquissimum. Si enim nostro cordi constaret de voluntate Dei, quid opus esset ministerio & missione Spiritus sancti. Deinde ipse Deus magis fide dignus est, quàm cor nostrum. Potius ergò verbo est credendum quàm nostro sensui. Ioh. 11. Martha intuetur tantùm externa spectacula calamitatum, monumentum, mortem, fætorem, quatuor dies Lazari, sed verbum promissionis obliviscitur. Christus autem Martham retrahit ab externis spectaculis calamitatum ad verbum promissionis: Si credideris, videbis gloriam Dei, quasi dicat, putas, mortem, monumentũ, pulverem, potentiora esse meo verbo, quare non respice in externa spectacula, sed in verbum Dei & crede. Sic ad nos dicit Christus in omnibus adversis: Si credideris, videbis gloriam Dei, non dicit, si externa & humana respicis, vides contraria, sed si credideris.

VII. Proprietas. Fides propria iustificat, nemo aliena fide iustificatur. Rom. 1. Hab. 2. Gal. 2. Iustus sua fide vivet. Etsi enim aliena fides etiam alijs prosit, & sæpè alijs orando impetret donum fidei & alia beneficia: tamen necesse est unumquemq; habere propriam fidem, unumquemq; pro se credere ad iustitiam & salutem propriam.

VIII. Proprietas. Fides est rara. Luc. 18. Veruntamen filius hominis veniens, inveniet fidem in terra?

IX. Proprietas. Vna est fides omnium piorum. Eph. 4. Vna fides, id est, una doctrina & confessio de præcipuis doctrinæ cælestis capitibus. Rom. 3. Iustitia Dei revelatur in illo ex fide in fidem, id est, ex fide promissi in fidem exhibiti, ut ita sit una & eadem fides, qua iustificantur homines cùm in veteri tum in novo testamento. Vel ex fide imperfecta in perfectiorem, ut ita fides subinde incrementum accipiat, & gradibus suis crescat, licet semper maneat una & eadem fides, quod ad obiectum & finem attinet.

X. Proprietas. Etsi fides sæpè sit infirma vel in assensu vel in fiducia: tamen propter obiectum vera fides est, & eadem, quæ est firma fides. Non enim ex qualitate fidei, sed ex obiecto

fides æstimanda est Rom. 14. 15. Eum qui infirmatur in fide assumite. Si igitur disputat mens, sed ego nõ sum tali robore præditus, sentio in me fidem langvidam, ac multis modis in notitia, assensu & fiducia imperfectam. Abraham vero fuit ἔυπιστος, μεγαλόπιστος, non hæsitavit per diffidentiam, at ego hæsito, sum ὀλιγόπιστος, imò ferè ἄπιστος, & Iacobus ait cap. 1. qui hæsitat nihil quicquam à Deo accipit. Fundamenta consolationum observemus.

1. Fides infirma est fides. Nam fides non iustificat respectu qualitatis, conditionis, dignitatis, firmitatis vel infirmitatis, perfectionis vel imperfectionis, sed ratione correlati, id est, Christi, huius enim correlati ratione nulla est inter firmam & infirmam fidem differentia, hinc fides infirma modò sit vera nõ minùs solidè appræhendit Christum, ac fides firma, perinde est, si mendicus oblatum munus debili vel valida manu appræhendat, alterum tamen melius. Sic igitur fides non ratione graduum iustificat, sed quia Christum appræhendit, si maximè scintilla sit tantum.

2. Eph. 4. dicitur una fides omnium Christianorum, plurimùm quidem differt in diversis Christianis fides ratione firmitatis & infirmitatis, tamen ratione salutis æquatur firmæ fidei fides infirma, si enim plus tribueretur salutis fidei firmæ quàm lãgvidæ, quomodo una omnium esset? Non igitur pendet salus nostra ex quantitate seu qualitate fidei, sed ex merito Christi, quod etiam infirma fides appræhendit.

3. Fides in se considerata, nunquam, ne in sanctissimis quidem tanta est, quanta requiritur.

Quòd autem dicitur Iacob. 1. hæsitantes nihil à Deo impetrare, id dextrè est accipiendum. Nam est duplex hæsitatio, impiorum & fidelium. Impiorum est, qua homo de Deo & eius voluntate sic hæsitat, ut ne quidem luctetur cum dubitatione, nec ad promissionem Dei respiciendo sese erigat, sed extra verbum suis cogitationibus indulgẽs dubitationi succumbat. Sancti dubitationes quidem in se sentiunt, sed luctantur contra illas fide, convertunt se ad verbum, quo excutiant tela Diaboli, ac tantisper se in ista lucta erigunt, donec vincant, optant & cupiunt firmiùs credere, utuntur adminiculis fidei alendæ.

Qua

Qua ratione etiam fides infirma præstat effectus maximos. Sic igitur in impijs consistit duhitatio in gradibus excellentibus, & sic fides & dubitatio sunt contraria: In pijs verò in gradibus remissis, nam prævalet fides & dubitationem reprimit. Lucta enim vel in assensu vel in fiducia non est signum incredulitatis, sed vera nota vivæ & efficacis fidei, quæ captivat πᾶν νόημα in obsequium Dei.

4. Observetur quo respectu dicatur fides firma vel infirma. In se considerata est infirma & in sanctissimis, firmissima autem est respectu sui correlati scilicet Christi, cui innititur, deinde respectu promissionis divinæ. Nam etiam infirmæ fidei Deus eam facit promissionem, quòd linum fumigans non velit extinguere, nec calamum quassatum conterere Esa. 42. Sed potius infirmos consolidare, Ezech. 34. eosque suscipere Romanor. 14.

5. Cananæa fides superat tentationes gravissimas, omniaq; iacula animosè excipit & vincit. Atqui hoc etiam præstat fides infirma, dum modò vera sit & ἀνυπόκριτος. Ait enim Christus, si fidem habemus ut granum sinapi, posse illam transplantare montes.

6. Fides piorum interdum fluctibus dubitationum propè tecta videtur, ut etiam Apostolorum exempla edocent, quæ dubitationes non sunt fovendæ. Quanquam enim fidem infirmam, modò luctetur contra dubitationes, ac se intuitu promissionum contra illas erigat, non aspernetur Dominus, nec linum fumigans extingvat &c. sed virtutem suam in infirmitate perficiat: tamen dubitationes adeò Christo non probantur, ut diserte repræhendat apostolos, quod exigua præditi fiducia hæsitarent, & vocantur ὀλιγόπιστοι Matth. 6. 8. 14. Moyses & Aaron propter qualemcunq; hæsitationem rejciebantur, ne Israel in terram Canaan introducerent. Num. 20. Vxor Loth quoniam respiciebat, in statuam salis conversa est Gen. 19. Zacharias non satis credens verbis angeli mutus redditur Zachar. 1.

Etsi igitur plerophoriam non habent omnes, neque semper habent, tamen ad eam parandam omnibus connitendum est,

quod fit, cùm resistimus hæsitationibus, & salutaribus præsidijs & adminiculis fidei alendæ, meditatione verbi, usu Sacramentorum ad eandem elaboramus.

Nam Paulus de Abrahamo scriptum asserit propter nos, ut in eundem modum credamus, & ut in præcedentibus monuerat, insistamus vestigijs fidei Abrahæ. Rom. 14. extat: ἕκαστος τοῦ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω, id est, certò sit persuasus, verbo Dei innixus. Matth. 14. Petrus primum ex vera fide ex navi in mare prosilit, & per mare ambulat sola fide fultus. Sed paulò post irruente in eum vento asperiore expavescit, & circumspiciens mare, ventos, undas, incepit diffidere de ope Dei, an possit vel velit eum servare, & ideo incepit etiam submergi. Quemadmodum enim in corde eius fides sub ea tẽtatione nonnihil fluctuabat, sic etiam forinsecus demergi incipiebat, sola fiducia contra pericula & propriam gravedinem à Christo sublevatur Petrus, solo defectu fidei submergi cœpit. Cùm igitur ad diffidentiam solicitat caro, non tamen eius inquietudini cedamus, sed cum clypeo verbo occurramus, qualiscunq; obrepet cogitatio.

7. Fides habet suas vices, nonnunquam infirma est, nonnũquam firma. Sic Paulus Rom. 14. docet, verè fideles non esse pariter in fide robustos, sed alios robustiores, alios languidiores: quin unum eundemq; nunc in fide proficere, mox verò languescere: ac vicissim languidos & infirmos rursum stabiliri & confirmari posse ut stent. Quemadmodum enim paterfamilias quispiam multos habens liberos, hanc in ipsis sanitatis & ægritudinis vicissitudinem experitur: Sic & in magna illa Dei domo alij alijs in fide sunt firmiores. Sicut hanc vicissitudinem firmitatis & infirmitatis in fide psaltes regius expertus est, ut de seipso non dubitet scribere & profiteri Psal. 30. Dixi in abundantia mea, non movebor in æternum, beneplacito tuo munivisti mõtem meum fortitudine, avertisti à me faciem tuam & conturbatus sum. Ideo si quis sensu peccati, iræ Dei tentetur, & in fide se infirmum sentiat, non tamen propterea despondeat animum, sed hanc esse communem sortem filiorum Dei meminerit, ut non semper eadem firmitate sint præditi, sed sæpè languidior fides videatur succumbere, ne suis proprijs viribus gratiæ Dei & perseverantiæ donum vendicent. Nihilominus autem fide-

lis

lis est, manetq; Dominus, qui novit suos è tentationibus eripere, & famulum infirmantem erigere ut stet, nec permittit nos ultra vires tentari, sed cum tentatione semper ἔκβασιν largitur, ut per infirmos, verè tamen fideles Christianos potentissimum & superbissimum Spiritum Satanam, vincat, atq; sic suam in nostra imbecillitate virtutem perficiat.

XI. Proprietas. Fides non est actus subitus aut momentaneus, sed subinde continuatur & sumit incrementa, ex imperfecta in perfectiorem, sive in assensione, sive in fiducia. Media autem augendæ fidei sunt verbum, Sacramenta, oratio &c.

XII. Proprietas. Fides potest amitti, ut suprà de subiecto annotatum est. Quatuor autem notis simplicissimè deprehenditur amissio fidei.

1. Falsa seu hæretica fides non est vera fides, sed repugnat fundamento.

2. Amissio etiam fidei fit, quando renatus peccat contra conscientiam.

3. Quando animus sine pœnitentia concipit talem persuasionem, quòd velit & possit in peccatis perseverare, ac nihilominus propter Christum Dei gratiam habere.

4. Pravi fructus ostendunt, arborem esse malam factam propter fidei amissionem.

XIII. Proprietas. Fides est potentissima & efficacissima, Incredulitatis præmium est omnium rerum impossibilitas, contrâ, præmium fidei est omnium rerum possibilitas Matth. 17. discipuli interrogant Christum, quare nos non potuimus illud? dicit eis Iesus, propter incredulitatem vestram. Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc & transibit: & nihil impossibile erit vobis. Marc. 9. Iesus dicit Patri: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Marc. 11. habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicunq; dixerit huic monti: tollere & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunq; dixerit, fiat: fiet ei, quod dixerit, propterea dico vobis, omnia quæcunq; orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis. Matth. 21. Omnia quæcunq; petieritis in oratione credentes, accipietis. Ioh. 14. Amen amen dico vobis, qui credit

in me, opera, quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet. Ebr. 11. monet de potentia fidei, quæ mœnia Hierichuntis evertit, urbes & regna florentissima debellavit. Verba de transpositione montium non sunt absolutè accipienda, sed definitè.

I. Alloquitur enim ibi Apostolos, quibus potestas faciendi miracula iam antè commissa fuerat: & Apostoli habebant promissionem, imò mandatum, quòd deberent edere miracula. Quamobrem si quis hodiè vellet talia miracula operari, careret successu, neq; posset ex fide vel conari saltem, siquidem careret mandato & verbo Dei, posteaquam miracula desierunt.

II. Hæc fides miraculosa plerunq; coniuncta est cum iustificante fide, rarissimè verò ab illa separata, potest tamen esse à fide iustifica remota, ut in Iuda proditore, & in his qui dicent in novissimo die: Domine Domine nonne per nomen tuum prophetavimus, & per nomen tuum Dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas virtutes præstitimus? quibus tamen dicturus est Dominus, discedite à me, qui operamini iniquitatem.

III. Quòd verò dicitur, nihil fore impossibile credenti, restringẽdum est ad ea, de quibus habemus aliquod verbum Dei. Ex verbo Dei enim fides nascitur, verbo nutritur & fundatur. Rom. 10.

IV. Quanquam Christus in suprà petitis locis de fide miraculosa tractat, non tamen obscurè simul iustificantis quoq; fidei naturam proprietatemq; declarat.

Quemadmodum igitur miraculosa fides transfert montes: Ita fide montes tentationum transponimus, clarissimas victorias reportamus ab omnibus nostris hostibus, fide prosternimus ipsum Diabolum 1. Pet. 5. Omnia ignita tela Satanæ excutimus Eph. 6. fide debellamus ipsas inferorum portas cunctis humanis viribus invictas & inexpugnabiles: fide vincimus mundum 1. Ioh. 5. ubi fides victoria nostra nominatur, & scutum quo excipiuntur & extingvuntur iacula maligni: Atque hæc sunt maiora opera illa, de quibus Christus concionatur Ioh. 14. Primò maiora dicuntur opera Apostolorum, quàm Christi propter effectum, qui comitabitur prodigia per manus Apostolorum edita. Nam non in una duntaxat regione fecerunt miracula,

sicut

ſicut Chriſtus, ſed longè lateq; totum orbem terrarum ſignis & miraculis undequaque repleverunt, unde factum eſt, ut per ea Evangelium etiam latiùs ſpargeretur, quàm Chriſti miraculis, quibus ferè in uno duntaxat populo, nimirum Iudaico, doctrinam ſuam ſanxerat. Per opera autem ſua intelligit Chriſtus, quæ poſtponit fidelium operibus, quæ ipſe viſibiliter in terris verſans tempore ſui miniſterij fecerat, quorum non multa poſthac eo modo in terris ſe facturum indicat, eò quod ad patrem vadat depoſiturus illam externam cõverſationem, qua circumiens in Iudæa langvores curabat in populo. Neque tamen hinc ſemetipſum à reliquis operibus & miraculis, quæ Apoſtoli poſtea fecerant, ſecludit, quin potius Chriſtus ipſe hæc Apoſtolorum ſigna operabatur, verùm non amplius viſibiliter illis converſans, ſed ad dextram majeſtatis miniſterio præſens confirmabat ipſorum ſermonem ſignis: In cuius etiam nomine & virtute Apoſtoli omnia ſua opera & miracula fecerant. Denique non tantùm intelligit Chriſtus per maiora opera miraculoſa Apoſtolorum, ſed etiam opera omnium fidelium, quæ ſunt credere in Chriſtum, vincere mundum & Satanam, vincere ſeipſos, contra omnes tentationum procellas in fide perſeverare.

Hæc ſunt opera fidelium, quæ Chriſtus certo quodam reſpectu quibusvis miraculis dicit eſſe maiora. Nam miracula Chriſti & Apoſtolorum fiebant propter hæc opera fidelium, & tàm diu durare debebant, donec fides & hæc opera in ipſorum cordibus inchoarentur. Deinde pij etiam ſine miraculorum edendorum dono ſalvari poſſunt. Niſi verò Spiritualia opera præſtent, non ſalvantur.

II. Fides ipſum Deum inviſibilem, quaſi viſibilem reddit & ſiſtit. Ebr. 11. Moyſes fide reliquit Ægyptum, non veritus ferociam regis: inviſibilem enim tanquam videns ſuſtinuit. Moyſes fiduciam collocavit in Deum, quem ſic præſentem ſibi eſſe noverat, ac ſi viſibiliter præſtò eſſet. Fides enim ipſius Deum inviſibilem quodammodo viſibilem illi reddidit, cuius præſidio fretus ad omnes comminationes Pharaonis obduravit, nihil eas faciens.

Ergo

Ergo natura & proprietas fidei est invisibilem Deum quasi visibilem sistere. Qua etiam fide homo fidelis Deum sibi in omnibus periculis adesse nõ minùs certò statuit, quàm si oculis corporalibus eum coràm aspiceret. Sic de sanctis scribitur, quòd coram Domino ambulaverint, non aliter ac discipulus præsente & inspectante magistro, solicitè cavet, ne quid dignum reprehensione perpetret.

III. Fidei omnia sunt præsentia, sed modus, quo fidei præsentia sunt promissa bona est distinctus. Nam discrimen est inter verbum promissionis & ipsam rem promissam. Falsum est, quòd Calvinistæ blaterant, promissionem gratiæ sola fide percipi. Nam non tantùm percipitur fide, sed etiam auribus ab incredulis, utpote quibus verbum prædicatum & auditum est etiam odor mortis ad mortem. Similiter falsum est, solas res corporales promissas ore vel corpore tantùm percipi, rem verò Spiritualem promissam in hac vita aliter non appræhendi posse, quàm fide. Nam disertè Christus testatur contrarium, accipite, manducate, hoc est corpus meum &c. Quòd si verbum Dei instrumento auditus percipitur: quid prohibet, quo minùs corpus Christi instrumento oris accipiatur?

Præterea nonne vita æterna est promissa res Spiritualis? nonne illa corpore & anima ab electis possidebitur? Spiritus sanctus num est res promissa Spiritualis, non verò Spiritus sanctus habitat in credentibus substantia sua? Sic quoq; falsissima est confusio Calvinistica inter verbum promissionis & rem promissam. Nam fides vera tàm firmiter amplectitur promissionem, eiq; fidit, ac si iam impleta foret: Sed hinc consequi non potest rem promissam actu extare. Tota autem res ita se habet. Res promissæ sunt duplices, aut in futurum promissæ & præteritæ, aut præsentes. Rerum autem præteritarum & futurarum nulla alia est præsentia, nisi in imagine. Nam præsentia, quamenti credentis præsentes esse dicuntur res in futurum promissæ aut præteritæ: non est ipsa rerum realis & vera præsentia, & tamen certissima fiducia mentis & voluntatis, eas aliquando fore aut fuisse, etiamsi præterierint vel nondum sint. Nam realis præsentia requirit realem existentiam rei. Etsi igitur fides credit, quæ vel futura sunt, vel quæ præterierunt, non tamen propterea

pterea res illæ præsentes sunt. Sufficit fidei res promissas, fore aut futuras esse aut fuisse, etsi eo tempore præsentes non sunt, quando creduntur, id est per fidem aspiciuntur.

Sic fidei præsentia dicuntur omnia, scilicet, quæ sunt in verbo Dei promissa. Atq; sic præsentia dicuntur, non ut realiter & actu præsentia sint, sed quia tàm certò & firmiter creduntur, ac si iam essent præsentia atq; præ manibus & oculis. Quatenus igitur fides in divinam promissionem intuetur, ei omnia sunt præsentia propter promissionis firmitatem & constantiam, non propter ipsarum rerum promissarum actualem existentiam & præsentiam. Sic fides dicitur ὑπόστασις rerum sperandarum, id est, coràm scilicet sibi sistens, & verè præsentia habens ea, quæ promissa sunt, non eo quòd sunt, neq; enim sunt, sed eo quòd creduntur, id est, fides facit, non ut res actu præsentes sint, sed firmiter eas amplectitur atq; tenet, non secus ac si præsentes adsint. Sic credimus resurrectionem mortuorum, extremum iudicium, vitam æternam, quæ tamen ipso actu nondum adsunt, sed tàm firma fide à pijs tenentur, ac si adessent. Verax enim Deus est, qui verbo suo promisit, neque potest mentiri. Sic res promissa dicitur, Christus esse in omnibus Sacramentis generaliter quidem, sed in specie corpus & sangvis Christi κατ' οὐσίαν, res promissa in Sacramẽtis V. testamenti non est. Nam Christus in veteri testamento typis adumbratur, & promissionibus proponitur tanquam futurus. Ergo non est præsens ratione carnis. Fidei quidem præsens est in promissione, sed non ipso actu, quia nondum ex Maria natus. Hinc patefit discrimen esse inter verbum promissionis & ipsam rem promissam. Vera fides tàm firmiter amplectitur promissionem, eiq; fidit, ac si iam impleta foret. Sed hinc non sequitur, rem promissam actu extare. Vidit Abraham diem Domini, idq; per fidem in Spiritu sancto, & firmissimè statuit Messiam nasciturum, tamq; certò id credit, ac si iam tum natus esset.

Quis verò hinc colligat, Christum tempore Abrahami fuisse ex Maria natum. Sic pij verè participes facti sunt Christi in veteri testamento, nempe per fidem, quia in promissum Messiam crediderunt, & hac fide salvati sunt: non tamen sequitur, corpus & sangvinem Christi tum ipso actu ac realiter præsens fuisse in Sacramentis Israelitarum. Christum participârunt per fidem in Spiritu

ſancto, ratione meriti & beneficiorum, ſed non habuerunt corpo & ſangvinem Chriſti præſentia actu. Res verò nonnullæ ita promittuntur in verbo Dei, ut in hac vita fide verè accipiantur. Ea autem fiducia non quærit ſupra viſibiles cœlos, ſed habet ſibi reipſa coràm præſentia per verbum & Sacramenta ſic, ut in ipſis fidelium cordibus inhabitent, non quidem corporaliter, quia corpus non habent, attamen verè, cuiusmodi ſunt gratia Dei, remiſſio peccatorum, donatio Spiritus ſancti & ſimilia.

Alia verò bona & verè adſunt & corporaliter coniunguntur cum pane & accipiuntur ore. Sic promiſsio iſta, edite, hoc eſt corpus meum, non avocat fiduciam à ſacro pane & loco cœnæ, ſupra cœlos aſpectabiles, ut illic corpus Chriſti quærat, ſed iubet panem edere, addita hac promiſsione, hoc eſt corpus meum, innuens ſuum corpus præſens in ipſa ſua ſubſtãtia verè, non in imagine adeſſe, & ore corporeo accipi.

Contra hanc orthodoxam & Sacræ ſcripturæ analogam explicationem afferunt Calviniſtæ novum & inauditum pſeudodogma de fide volatili. 1. Corrumpunt locum Epiſtolæ ad Hebr. cap. 11. Beza in colloq. Mompelg. fol. 76. Fateor etiam corpus Chriſti Abrahamo actu non fuiſſe præſens, neq; tempore Abrahæ actu extitiſſe. Inde autem conſequi nego, quòd ſimpliciter illi preſens non fuerit. Nam fides eſt ὑπόσασις τῶν μὴ ὄντων, hoc eſt, ſubſtantia rerum, quæ non ſunt, Sicut Epiſtola ad Ebræos teſtatur. Quoniam fides intuetur in verbum Domini, in quo res promiſſa eſt præſens ſuo modo: Ita credimus multa, quæ ſcimus facta eſſe, credimus ſecula condita. Quamvis enim creatio præterijt, tamen eam fuiſſe credimus, atq; hoc modo fidei eſt præſens. Sic credimus etiam multa futura, quæ hoc tempore actu non ſunt. Et nolim ſanè ego dicere, corpus Chriſti tempore Abrahæ non extitiſſe. Fuit enim, ſed non actu. Ex quo ſequitur, quòd ad veram præſentiam non ſemper illa realis exiſtentia requiratur. Fides enim etiam extra mundum emigrat. Alij explicationem afferunt ex eodem loco, quòd fides faciat res futuras præſentes.

Sed verba hæc τῶν μὴ ὄντων non reperiuntur ibi, non enim ait Epiſtola: ὑπόσασις τῶν μὴ ὄντων, ſed τῶν ἐλπιζομένων ἢ οὐ βλεπομένων πραγμάτων, longè verò aliud eſt, rem ſperari & non videri, & aliud rem prorſus non eſſe. Deinde non ibi habetur,

quòd

quòd fides faciat res futuras præsentes: Sed dicitur ὑπόστασις rerum sperandarum. Est ὑπόστασις, non facit, ut actu præsentes sint, sed firmiter amplectitur eas atque tenet non secus ac si præsentes adsint. Deinde dicitur ἐλπιζομένων. Sed τὰ ἐλπιζόμενα futura sunt.

Quapropter statuere, fidem facere omnia præsentia. Ergo fidei nihil futurum esse, fidem non habere obiecta futura, falsissimum est. Id enim est negare fidem esse τῶν ἐλπιζομένων.

Dogma igitur Calvinianum de fide in cœlos volante seu fide volatili, tùm philosophicè, tùm theologicè falsum esse hisce probatur rationibus.

I. Argumentum:

Quicquid in verbo Dei non est fundatum, illud est rejciendum. At fidem esse caussam instrumentalem appræhendendi οὐσίας corporis Christi non est in verbo Dei fundatum. Ergo meritò rejciendum.

Minorem probo hisce duabus rationibus.

1. Ne syllaba quidem extat de fide & ore fidei in caussa materiali cœnæ.

Ergo figmentum est, quòd fides sola sit caussa instrumentalis percipiendi corporis Christi.

2. In nullo loco Deus promisit illam potentiam fidei, quòd debeat caussa effectiva esse præsentiæ, sed ablegat nos Christus ad verba testamenti non ad cœlos. Est igitur nova Grammatica Calviniana in cœlo percipi corpus Christi contra Christum, qui dicit non in cœlo, sed in cœna est corpus meum.

II.

Fides est actus credendi non extra sed intra mentem, etiam arbitris philosophis.

Ergo non extra vagatur, & supra cœlos conscendit, & foris procul extra mentem corpus appræhendit. Calvinistæ concedũt hoc de fide historica actuq; cogitandi, quia illa sit actus cogitandi, intelligendi & credendi in mente excitatus, sed de fide salvifica negant, quia dicunt differre primò fidem salvificam & historicam subiectis, hanc esse in mente & in cerebro: Illam verò in corde: Deinde diversos esse effectus fidei salvificæ & historicæ.

Quia historica sit noticia simplex & sola mentis cogitatio, at salvifica non sit sola noticia & cogitatio, sed etiam fiducia viva & efficax, appræhendens & applicans sibi tùm verbum promissionis, tùm rem ipsam promissam in verbo, nempe corpus & sangvinem Christi. Ergo non sit nuda imago, ἐνέργεια cogitandi, sola cogitatio &c.

Resp. Differentiam in subiectis fidei salvificæ & historicæ nõ agnoscit Theologia, nec philosophia, imo scriptura utramq; fidẽ ponit in corde. Quod si concedatur, non tamen sequitur dogma de fide volatili, nullibi enim scriptura hunc effectum salvificæ fidei ascribit, ut rem promissam, quæ loco procul absit, verè sibi præsentem habeat κατ' οὐσίαν.

Item.

Si οὐσία corporis Christi menti aut fidei est præsens, præsens etiam necessariò erit in terris, quia mens & fides est in nobis non extra nos, ubi enim corpus nostrum est, ibi anima nostra essentiæ ratione etiamnum est, & quæ menti & fidei sunt præsentia, illa etiam in terris nobis præsentia sunt. Aut igitur corpus Christi nec menti nec fidei verè præsens est, aut si præsens est, quoq; nobis in terris præsens est: Vel potius mens corpori est præsens, quàm corpus Christi menti extra corpus, quod esset absurdum. At Calviniani fatentur corpus Christi menti & fidei præsens esse. Ergo &c.

III.

Intellectus non percipit res ipsas, sed earum solùm imaginem & similitudines, id quod est extra controversiam apud philosophos & Theologos.

Atqui fides est in intellectu sicut in subiecto, & credere est actus intellectus.

Ergo fieri non potest, ut fides res absentes aliter præsentes faciat, nisi tantùm in imagine.

IV. Ab Absurdis.

I. Fides est donum Dei.
Christus est donator fidei.
Ergo maior esset potentia doni quàm donatoris.

II. Creatura esset potentior quàm creator.

III. Sequitur Donatistarum error, quòd fides pertineat ad integritatem Sacramenti.

IV. Duplex

IV. Duplex cœnæ celebratio assereretur, una hic in terris cum nudis Elementis, altera verò in cœlis sine omni Elemento.

V. Si corpus Christi fide percipitur, sequitur edere esse vocem æquivocam, & duo hic habere significata, propriè de pane, figuratè de corpore Christi intelligi. Atqui vox comedere non est æquivoca, sed significat ore manducare, non credere. Christus enim iubet ore manducare hoc, quod dedit, non autem dat tantùm panem, sed etiam corpus. Ergo &c.

VI. Si edere significaret credere, sequerentur quatuor absurda. 1. Verbum unum edendi in uno & eodem loco, eademq; sententia duplicem significationem haberet, propriam respectu panis, tropicam respectu corporis. 2. Duo diversa & actibus à Christo distincta vocabula edere & bibere unum significatum sortirentur, imò unum eundemq; actum denotarent. 3. Sequeretur posse cœnam sine externa fruitione Elemẽtorum celebrari, imò nullum esse discrimen inter convivium fidelium & manducationem Sacramentalem. Nam in convivijs fidelium sunt primò Elementa, deinde sanctificatio per verbum. Tertiò, Commonefactio de cibo carnis & potu sangvinis Christi. Quartò ipsius Christi præsentia. Quintò Spiritualis manducatio per fidem. Sextò, In verbis cœnæ statueretur ταυτολογία. Nam comedere & facere in commemorationem significarent eadem, & Christus eadem in una periodo posuisset cùm dicit: Comedite hoc est corpus meum, & hoc facite in mei commemorationem.

VII. Spiritualis manducatio per fidem nuda relinquit signa, idq; probant præcedentes rationes & præterea testimonia propria adversariorum. Hæc igitur Metaphysica Calviniana de fide volatili, qua Icari & Phaetontis in modum in cœlum subvehamur cùm philosophicè tùm Theologicè est falsa.

XIV. Proprietas. Fides est tota copulativa, id est, amplectitur omnes articulos fidei. Necesse enim est omnes articulos fidei ita retineri, ut nullum ignores, nec ulli contradicas, ut, non satis est, te credere, quòd Christus sit natus, passus, resuscitatus, nisi etiam credas eundem Christum esse filium Dei patri coæternum & ὁμοούσιον. Si enim unum articulum rejicias, non prodest tibi reliquum Symbolum. Quòd autem fides sit tota copulativa, testatur Psal. 119. qui est regula studij Theologici. Sic enim inquit: Tunc

non confundar, cùm respexero ad omnia mandata tua. Et Exod. 12. scriptum est de agno mactato in paschate. Totum agnum comedetis. Hic typus significat totam doctrinam de Christo recipiendam esse, non aliquam tantùm partem. Vnde etiam in definitione fidei non frustrà, nec temerè dicitur, quòd fides sit assentiri omni verbo Dei nobis tradito.

XV. Proprietas. Vt fides licet sit à Deo, tamen mediante verbo confertur, sic etiam alimenta & incrementa fidei à Deo quidem sunt, sed mediãte verbo. Sic igitur alitur & fovetur fides, & augetur eo medio, quo prius concipitur & accenditur. Fidei autem ut adipiscendæ, sic fovendæ, augendæ & conservandæ media, ut nobis acquiramus, neq; supra nubes est ascendendum, neq; descendẽdum in abyssos, aut trajiciendũ mare: Sed prope nos est verbum Dei, quod audire, scrutari & meditari iubemur. Ex quo cognoscimus Deum satis nos abundè de salute æterna consequẽda edocuisse: ac proinde quæ ad fidem adaugendam & cõservandam faciunt, studiosè persequamur. Etsi enim virtute Dei per fidẽ custodiamur ad salutem, & sermo ministrorum per se nullius sit momenti: quia tamen Deo placuit instrumentis & his virtutẽ & efficaciam suam coniungere, sicq; nos ad salutem custodire voluit; Ideo verbum ministerij preciosum habeamus, concionibus sacris frequentandis omnem operam impendamus: eiusdem enim verbi pia & assidua meditatione ceu pabulo quodam alitur & sustentatur fides, ne deficiat, haud aliter ac lucerna fovetur oleo, ne extingvatur: Deinde verbo Dei annexa sunt Sacramenta: Et his fidei sustentaculis adiungit Christus preces assiduas, & studium ardens vitæ sobriæ.

Sed sæpè suboritur tentatio de finali perseverantia. Nunc quidem studiosè Dei verbũ addisco, timorem & invocationem Dei exerceo assiduè, luctor adversus diffidẽtiam, doloribus pœnitentiæ me crucio, à manifestis sceleribus abstineo, errores patienter fero, propter confessionem me expono varijs periculis. Sed qui scire possum, num constanti proposito persistere valeam in inchoato bono? Vnus lapsus potest me evertere. Fatigant enim me:

I. Potentia & multitudo hostium, insidiæ Diaboli, accusatio peccati, afflictio mundi, illecebræ carnis fulmina.

II. Gravitas & atrocitas calamitatum, affligentium pios, quales

quales ſunt tribulatio, anguſtia, fames, perſecutio, nuditas, periculum, gladius.

III. Exempla triſtiſsima eorum, qui cùm benè cœpiſſent credere, tamen tandem exciderunt gratia, & fidei naufragium fecerunt.

Adverſus mille fraudes & inſidias hoſtium, ſeductionem mundi, propriæ carnis intemperiem, atrocitatem calamitatum & triſtiſsima exempla magnorum virorum lapſorum, quomodo conſtanter perſiſtere poſſem in fide? certè trepido, & metuo ne & ipſe infirmitate aliqua præventus excidam gratia Dei, & amittam rurſus adeptam ſalutem.

Hæc admodum gravis eſt tentatio à Satana, qui pietatis ſtudium in nobis infringere, & veternum ſecuritatis nobis inſpirare conatur. Veri autem fontes conſolationum monſtrantur. 1. Cor. 1. & Rom. 8. 1. Pet. 5. Adverſus hanc acrem tentationem confirmat Corinthios Paulus triplici conſolatione.

I. Ab antegreſſa gratia ad futuram continuationem. In omnibus ditati eſtis per ipſum, & ut nullum vobis donum deſit, qui expectatis revelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Si igitur hactenus in vos contulit Deus ſua beneficia. Ergo & in conſervando & ad finem perducendo eo bono, quod in nobis operari cœpit, vos ope ſua non deſtituet.

II. Ab autore perſeverantiæ Chriſto Qui confirmabit vos in finem irrepræhenſibiles in die Domini noſtri Ieſu Chriſti inculpatos ἀνέγκλητους, inaccuſabiles, non accuſandos, non reos. ἀνέγκλητος eſt, qui habet remiſsionem peccatorum, & virtute Spiritus ſancti vitam agit inculpatam, & à craſsioribus peccatis, quæ Paulus opera carnis vocat, immunem. Etſi autem non ſumus ἀναμάρτητοι, tamen ſumus ἀνέγκλητοι, nemo nos accuſare poteſt coram Deo. Nulla eſt condemnatio in his, qui in Chriſto Ieſu ſunt Rom. 8. Et 1. Pet. 5. modum confirmationis ponit quatuor emphaticis verbis, καταρτίσαι, σηρίξαι, θεμελιώσαι. καταρτίζω coagmento, compono, luxata membra in artus repono. Sic Deus habet hoc officium καταρτίσαι, id eſt, nos luxata membra in unum corpus redigere, quod fit.

Rom. 8. extat vox latina, adiuvat infirmitatem, sed græca est elegantior, συναντιλαμβάνεται. Tribuitur autē Spiritui sancto ἀντίλημψις sublevatio seu sustentatio in infirmitatibus, metaphora à baiulis sumta, qui onera ferētes cùm fatiscunt aut labascunt alicubi à socia manu adminiculi, vel levationis aliquid sibi præberi sentiunt.

1. Cum nos lapsos per pœnitentiam invitat & sanat.
2. In agone constitutos erigit.
3. In resurrectione integrè nos instaurabit.

Sic Apostoli, pastores luxata membra & per Diabolū à Christo avulsa, rursus corpori per ministerium inserunt. Sic Eph. 4. ponit Apostolus caussam, cur dona det hominibus, πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, & requirit Catartismum Gal. 6. καταρτίζετε.

Altera vox στηρίσαι significat fulcire, adminicula adhibere ijs rebus, quæ dura onera ferunt, ne succumbant. Sic Deus pios, quibus onera magna imponit, etiam fulcit & sustentat, ne succumbant. Huc pertinet ἀντίλημψις Rom. 8. & Psal. 68. Imponit nobis onus, & adiuvat nos & 1. Cor. 10. dat ἔκβασιν.

Tertia vox δυνῶσαι roborare est ijs, qui infirmi sunt, suggerere vires consolando & Spiritum consolationis suggerendo. Sic Paulus ait, se in Christo omnia posse. Loquitur autem maximè de corroboratione Spirituali, quæ fit verbo, fide, usu Sacramētorum, θεμελιῶσαι fundare est, super fundamentum collocare, ut habeat cui innitatur. Collocat autem nos Deus super fundamētum, quod est Christus 1. Cor. 3. Coll. 2. ἐρριζωμένοι, ἐπιοικοδομούμενοι.

III. A fidelitate Dei. Fidelis est & servantissimus promissionis suæ. Deus qui vos vocavit, promisit autem se nos servaturum esse in fide. Ergo stabit promissis.

Paulus verò ad Rom. cap. 8. plura suppeditat argumenta.

I. A Dei favore, præsidio & defensione. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Deus à nostris partibus stat, ipse pro nobis militat in adversis, etiam in media morte. Ergo nullius creaturæ tanta est potentia, quæ contra nos prævalere, & nostram salutem intervertere queat.

II. ἀτεκμηρίῳ firmissimo favoris divini, scilicet, traditione filij sui. Qui filio proprio nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit ipsum, quomodo non cum ipso nobis omnia largiretur? à maiore ad minus. Qui dedit maximum, nunquam negabit minus. Atqui Deus dedit nobis maximū. Ergo neq; minus bonū negabit.

III. A patrocinio Dei. Quis accusabit electos Dei, Deus est, qui iustificat, Deus absolvit nos. Ergo nemo nos accusare audebit. Abeat igitur Satan κατήγορος, accusator noster.

IV. A beneficijs Christi quatuor. Nemo potest eos condemnare,

mnare, pro quibus Christus est mortuus & excitatus, ad dextram Dei sedens intercedit. Atqui pro nobis hæc omnia præstitit & præstat Christus. Itaq; nemo nos condemnare potest.

V. Ab impossibili. Quicunque non possunt separari à dilectione Christi, ij nec damnari possunt. Atqui nos separari non possumus à dilectione Christi. Ergo &c. Minorem probat:

I. Inductione ab adversis, quibus Ecclesia militans est obnoxia.

II. ἀντεισαγωγῇ. Quia certum est, nos plus quam victores esse per eum, qui dilexit nos. Emphatica vox est ὑπερνικῶμεν, ὑπὲρ in compositione auget, sicut ἄγαν, λίαν. Vnde etiam ὑπεράγαν, ὑπερλίαν dicitur, maximè & vehementissimè. Ergo in omnibus malis ὑπερνικῶμεν excellenter & gloriosè vincimus & longè superamus hostes, & per mille pericula tendimus & penetramus in regnum cœleste non nostris viribus sed gratia Dei. Hæc non est simpliciter victoria piorum, sed plus quàm victoria, quando non modò non frangitur, sed etiam augetur fides nostra ex adversitatibus, dum omnia à Deo in salutem nostram attemperari cernimus.

Sic abundans est victoria Apostolorum, qui cæsi lætantes abeunt, quod digni essent habiti, quia non tantùm patienter flagra sustinent, sed etiam hinc ardorem maiorem prædicandi Evangelij concipiunt. Abundantior est victoria Davidis, non timebimus, etsi terra moveatur & montes se proijciant in cor maris psal. 46. Abundantissima est Iobi victoria. Etsi occiderit me, tamen sperabo in eum. Hinc rectè dicitur: Christianus occidi potest, vinci non potest.

III. Testimonio fidei acquiescentis in certitudine promissionis gratiæ, πέπεισμαι confido, & in dilectione Dei firmissimum & inexpugnabile credentibus asylum positum esse pronunciat, contra omnium rerum species. 1. contra adversitates. 2. contra tempora. 3. contra omnes creaturas, & loquitur de invaletudine horum omnium, q. d. Horum omnium est invalida coniuratio contra pios.

Creatura est triplex, inanima ut quatuor elementa: animata, leones & aliæ bestiæ: rationalis, duplex 1. angeli 2. homo, hoc innuit Paulus cùm dicit, nulla creatura.

Nihil ergo in universo mundo est, quod palmam salutis

nobis intervertere posset. Priùs mundus desinet esse, quàm ut à dilectione Dei avellamur. Ex quo id consequens est, quàm certò mundum istum adhuc durare norunt pij, cuius ipsi etiam aliqua pars sunt: tàm certos ipsos esse de gratia Dei posse, & de ea dubitare nihil aliud sit, quàm utrum mundus etiam duret, ambigere. Hinc Paulus 2. Tim. 1. ait: Scio cui credidi, & certè persuasum habeo, quòd potens sit custodire depositum meum in illum diem. Propositum significat hic vitam æternam.

Quòd attinet exempla magnorum virorum lapsorum, Deus hæc ipsa nobis ponit ob oculos, ut nos in timore Dei contineat, ut securitatem carnalem ex animo nostro profliget, ut invocationem, fidem, pietatem, studium doctrinæ in nobis excitet & acuat. Ne igitur desimus nobis, ne efferamur, ne demus nos securitati &c.

In hac sententia de dono finalis perseverantiæ errant Papistæ & Calvinistæ, hi in excessu, illi in defectu. Papistæ nugantur, neminem de finali sua perseverantia certum esse posse ante finem vitæ, ac proinde de certitudine salutis perpetuò dubitandum. Sed hæc papistica dubitatio pugnat cum omni scriptura, cum promissione Dei, cum arrha & obsignatione Spiritus sancti, cum natura & proprietate fidei, quæ ὑποστάσει καὶ ἐλέγχῳ definitur, cui παῤῥησία & πληροφορία tribuitur, cum spe fidelium, quæ non confundit, cum exemplis sanctorum, cum usu Sacramentorum, quæ sunt σφραγῖδες, id est, summæ certitudinis notæ.

ἔλλειψις Papistica.

In excessu errant Calvinistæ & certitudinem salutis sic comparatam blaterant, ut quicquid tandem faciant electi, nihilominus in gratia permaneant.

ὑπερβολὴ Sacramentaria.

Ergo utrinq; à media & regia via disceditur. Non enim abducendæ sunt mentes ad dubitationem papisticam, nec confirmanda est Epicuræa securitas Calvinistarum, quasi renati non possint excidere gratia Dei.

Effectus.

Duplex est ἐνέργεια fidei. Vna est ipsius propria, scilicet credere promissioni Evangelij, quam immediatè sine alijs virtutibus ad Deum & Christum exerit. Altera ἐνέργεια fidei est, quam erga proximum non immediatè, sed mediante dilectione exerit. Vnde-

de talia opera, quibus benefit proximo, dicuntur cùm fidei fructus, tùm charitatis opera. Respectu igitur iustificæ ἐνεργείας fides in seipsa agit, non operatur per charitatem, & huius ἐνεργείας consideratione dicimus, non operantes iustificari. Rom. 4. τῷ μὴ ἐργαζομένῳ sed ratione posterioris ἐνεργείας per charitatem efficax est. Gal. 5. Sic ratione harum duarum ἐνεργειῶν duplices constituuntur effectus fidei: alij effectus fidei attribuuntur non tanquam caussæ efficienti; impulsivæ meritoriæ, formali &c. sed tanquam instrumentali, ut sunt iustificatio, remissio peccatorum, vita æterna. Nam ut annulus propter gemmam est in precio non propter aurum: Ita cùm dicimus, nos esse iustos fide, intelligamus hæc omnia correlativè. Alij effectus tribuuntur fidei tanquam caussæ formali. Nam caussa remotior & πρωτόγονος est Christus, nos fructiferos faciens per Spiritum. Proxima est Spiritus sanctus. Formalis duplex est, interior, fides in Christum, exterior, conformitas cum lege. Vnde fides non immeritò nominatur mater & radix bonorum operum, ab Augustino, genitrix bonæ voluntatis, & iustæ actionis ab Ambrosio. Hæc enim formalis caussa bonorum operum est, anima quasi & Spiritus vitalis bonorum operum, quo opera destituta, bonitatis laudem amittunt. Sic bona opera fructus fidei & iustitiæ vocantur Phil. 1. Ergo charitas non est forma fidei, quia charitas non informat fidem, sed contrà fides informat charitatem. Et charitas effectus est potius quàm forma fidei.

Cognatio.

Magna est cognatio spei & fidei. Conveniunt enim
1. Genere. Nam unum & idem genus habent, scilicet fiduciam.
2. Efficiente Vtraq; enim sunt opera Spiritus sancti.
3. Obiecto. Vtraq; versatur circa verbum Dei.
4. Subiecto generali. Vtraq; sunt in corde renati hominis.
5. Fine. Vtraq; gloriam Deo asscribit.
6. Vtraq; cessabit in altera vita.

Differunt tamen pluribus modis.

1. Fides prior existit φύσει, quia nisi credatur aliquid, non potest sperari.

2. Subiecto Speciali. Fidei subiectum est partim in mente, partim in voluntate, quoad assensum & fiduciam. Spes in voluntate tantùm, & quidem facultate eius ὀρεκτικῇ consistit.

3. Obiectis. Fides versatur circa res præteritas præsentes & futuras. Credimus enim mortem Christi præteritam, eius imperium præsens, iudicium extremum futurum: Spes verò versatur circa res futuras.

Item. Fides applicat & accipit promissa bona, spes expectat futuram revelationem, vel liberationem in hac vita, vel post hãc vitam.

Item: Fides versatur circa beatitudinem æternam in præsenti amplexandam: Spes verò circa eandem in futuro capessendam.

Fides est fiducia in remissionem peccatorum: Spes est fiducia de mitigatione ærumnarum.

Notatio.

Spes sæpè generaliter accipitur pro fide, & quia fides acquiescens in Christo non omnia in præsentia accipit, quæ Christus peperit & verbo gratiæ promittit: ideò spes in fide & fides in spe includitur.

II. Fides generalis, & specialis seu iustificans conveniunt proprietatibus quibusdam, ut quòd sunt rerum non apparentium, quòd non nituntur sensuum iudicio & fides iustificans præsupponit & includit fidem generalem, ideoq; rectè ponuntur in definitione fidei iustificantis hæc verba: Fides est assentiri omni verbo Dei nobis tradito. Sed differunt individuali & fiduciali applicatione, & obiecto:

III. Conveniunt fides vera & mortua.

Differunt autem:

I. Subiectis seu prædicamentis. Viva nõ solùm est in prædicamento Qualitatis noticia & assensio, ut fides hypocritica & Diabolica, sed etiam in prædicamento relationis fiducia.

2. Obiectis & formali: Fides hypocritarum & diabolorum est generalis, & versatur circa communia obiecta. Viva fides specialis applicatio.

3. Caussa efficiente. Historica fides est opus rationis: iustificans fides est opus Dei.

4. Effectibus. Effectus veræ fidei sunt iustitia, pax &c. Effectus Diabolicæ sunt contrarij, pavor, odium, fuga Dei &c.

Contraria.

I. Fides historica cum Diabolica congruens.

II. Fides mortua seu hypocritica seu potius umbra ac somnium fidei.

III. Fides dubitabunda papistarum.

IV. Fides Anabaptistarum & Schvvenckfeldij, quam non mediante verbo Dei cœlitus destillari enthusiasticè nugantur.

V. Synergismus, Pelagianismus, & Semipelagianismus.

VI. Fides Sacramentariorum. Et huc referantur rationes, quibus probatur, quòd Calvinistæ adeò à vera fide sint alieni, ut omnem amisisse & abnegâsse videantur.

Rationes.

I.

Veræ fidei obiectum est totus Christus, qui unica λατρεία invocatur. Atqui Calvinisticæ fidei obiectum non est totus Christus, sed Christus tantùm secundum divinam naturam, teste Beza: Christum adoro, non quà homo, sed quà Deus. Ergo est vera fides.

II.

Deus omnibus, id est, singulis seriò vult dare fidem, voluntate non absoluta, sed hac conditione determinata, si ordinem ab ipso sancitum sequantur, id est, fidei organis legitimè utantur Rom. 10. Ioh. 17. 1. Cor. 3. Item 16. At Calvinistica fides tradit, quòd Deus non velit omnibus, id est, singulis hominibus dare fidem, quia Christus non pro singulis sit passus, sed pro solis absolutè electis, quibus etiam eandem largiri velit.
Ergo est nugatoria fides.

III.

Articuli fidei sunt obiectum fidei iustificantis, & fides nititur verbo Dei. Quando enim fides vult aliquid accipere à Deo, necesse est, ut illud non extra verbum, & sine verbo petat, sed ex illa Dei manu, quam in verbo & Sacramentis aperit. At si quis errorē admittat in doctrina vel de persona vel officio Christi, is cōmittit errorem in fundamento. Quicunq; autem committit errorem in fundamento, mortaliter peccat: quicunq; mortaliter peccat, fidem amittit. Nam peccati mortalis duo gradus sunt. 1. amissio fundamenti, id est legis & articulorum fidei. 2. lapsus contra conscientiam.

At Calviniſtæ admittunt errores in doctrina de perſona Chriſti, de officio, de Sacramentis & præcipuis articulis fidei. Ergo committunt errorem in fundamento. Et per conſequens fidem amiſerunt. Falſa enim eſt hæretica fides non eſt vera fides, ſed repugnat fundamento.

IV.

Fructus veræ fidei eſt, non peccato, ſed iuſtitiæ vivere. Hi igitur ſibiipſis imponunt, qui dicunt ſe habere fidem, & ſibi perſuadent, in hoc ſe officio ſuo perfunctos eſſe, ut interim ſecundum deſideria carnis vivant. Vbi enim vera eſt fides, ibi carnem coërcet, ne cupiditates ſuas perficiat. 1. Pet. 5. Rom. 8. Multi ſunt, qui negligunt auditum verbi & uſum Sacramentorum, ſibiq; interim perſuadent, ſe nihilominus poſſe retinere fidem & remiſsionem peccatorum, ſed ipſi turpiter ſeipſos decipiunt. Quando enim fides in peccatis non ampliùs retinet ſuam proprietatem, ſed degenerat in Epicuream impunitatis perſuaſionem, quomodo in homine ſubſiſtere poterit? At Calviniſtarum fides non poteſt amitti ab electis, licet in peccatis contra conſcientiam vivant. Ergo &c.

V.

Fides Chriſtiana credit τὰ θεῖα: Calviniana fides credit τὰ νοητά.

Fides Chriſtiana credit contra ſpem in ſpem, ſeu res cum ratione pugnantes ex diametro. At fides Calviniſtica ad rationem humanam omnia provocat, & non credit, quæ mentis acie intelligere nequit. Ergo &c.

VI.

Διάκρισις τῆς ἀπιστίας ſeu curioſa diſceptatio, & in promiſsionem Dei inquiſitio, modum eius inveſtigare volens, veræ fidei repugnat. Rom. 4. οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ. Calviniſtica fides fovet διάκρισιν τῆς ἀπιστίας, & propter illam διάκρισιν Caluiniſtæ ſibi pulcrè videntur ſapere. Ergo veræ fidei repugnant.

VII.

Dubitare de veritate & omnipotentia Dei ſunt quaſi duæ novaculæ, quibus nervi fidei veræ inciduntur. Rom. 4. corroboratus. Calviniſtæ dubitant de veritate & omnipotentia Dei, & diſputant contra omnipotentiam Dei, Deum omni ſua potentia non poſſe efficere, ut unum & idem corpus ſimul ſit in pluribus locis. Ergo Calviniſtarum ἀθεοσοφία nervos fidei incidit.

Ortho-

VIII.

Orthodoxi veræ fidei assertores, cùm sæpè infirma fides sit, & mole tentationum ita sepulta, ut plane non sentiatur: imò plane contrarij motus appareant, potius ad verbum & sigilla gratiæ, quàm ad cordis nostri testimonium quod non semper in actu existit, remittunt, ut ex his de certitudine salutis statuant, idq; exemplo Davidis psalm. 119. 23. 1. Iohan. 3. Si cor nostrum nos condemnat, Deus est maior corde, qui scilicet per verbum nobiscum loquitur. At Calvinistæ perturbatas conscientias non ad verbum nec ad baptismum & cœnam: sed ad internum Spiritus sancti testimonium & eius motus ablegant. Beza colloq. Momp. 550. Cinglius, Gualtherus, ad serm. Luth. cõtra Suermeros, cùm Lutherus ait: Quisquis fidem ex ipsis verbis haurit, sic credat necesse est, & dum ego verba ista habeam, nihil ultra requiram.

Ergo non sunt veræ fidei assertores.

IX.

Præsentem rem offert Deus, ut fides eam amplectatur, non ut fides recipiendo rem præsentem sistat, ordinavit. Calvinistica fides adeò rem præsentem sistit, ut etiam corpus Christi tàm procul distans à cœna, quàm procul cœlum à terra distat, præsens sistat. Ergo non est vera fides.

X.

Quicunq; circa fidem naufragium fecerunt, illi fidem veram amiserunt & abnegârunt. Sacramentarij circa fidem naufragium fecerunt. Ergo &c. Minorem probat Lutherus in libello minore homologetico aliquot hypothesibus.

1. Quisquis unum negat articulum fidei, & veritati divinæ in uno admonitus etiam, nihilominus contradicit, is nullum omninò articulum fidei pro vero atque αὐτοπίστῳ habet.

2. Quisquis non piaculo sibi ducit Deum falsitatis arguere in uno aliquo verbo, & semel atque iterum monitus & meliora doctus palmam veritatis Deo non concedit; huius certum est eam esse ἀληθότητα, ut in nullo verbo fidem DEO verè habeat.

3. Diabolus

3. Diabolus unius hospitis gratia tabernam nullam aperit, qui ubi hæresin unam invexit, non cessat plures identidem intrudere: & nullus error solus manet.

4. Fides Catholica & religio Christiana constituunt unam copulativam. Quemadmodum ergo annulus facta ruptura una, annulus non est amplius, & campana fissuram unam passa, amisso sono fit inutilis: Ita fidei Catholicæ sinceritatem, si unius articuli abnegatione interrumpas, totius proditor factus es.

XI.

Calvinistæ ἐκ τῶν βλεπομένων καὶ νοουμένων res πίστας demonstrant, & ita Thomisticam, oculatam, & manibus palpandam fidem profitentur, tantum credentes animo, quantum oculis vident. Ergo antiquata definitione Apostolica fides erit πραγμάτων ἔλεγχος βλεπομένων. Antiquabitur & illud: Beati qui credunt & non vident.

XII.

Quicunq; discrimen Christianæ & Ethnicæ philosophicæ fidei tollit, fidem Christianam à reliquis religionibus nihil discrepare sentit, & sic induxerit in animum necesse habet, quemq; in sua religione salvari posse. Atqui Calvinistæ hoc faciunt. Nam Cinglius Ethnicismum ipsum in mediam Christi Ecclesiam introduxit, Ethnicos in cœlum collocavit: Et Gualtherus cum Cinglio Senecæ fidem deprædicat, qui de Christo nihil novit.

Ergo &c.

FINIS.

Jg 1815 ?

X22A2551

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-470494-p0099-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-470494-p0100-2

ETHODVS
E EIVSDEM=
ET CONCEPTV, IN=
s, alimentis, & alijs
roprietatibus.

s, Synergistas, Calvinistas
alios Sectarios

VVurcenæ

Pastorum Ephoriæ Misnensi addi-
ad amicam συζήτησιν

Anno 99. 12. Martij.

RAESIDE
mphrasio D. Theologo & Su-
te Episcopatus Misnensis.

tur, quod Calvinistæ in articulo de
ædestinatione, & Cœna Dominica or-
e non solum corrumpant, sed etiam, licet fidem
vera nihil credant, ideoq; ut carcino-
Ecclesiæ fugiendi sint.

Simon Lasmannus, & M. Florianus
ock Diaconi ibidem.

Jf 2615 m

ITEBERGÆ,
VVolffgangus Meißnerus.